

Entomule 33
April 2nd
1861 A.H.

R. P. IOANNIS

MARIN

SOCIETATIS IESU.

Oconensis, Sacre Theologiae Docto-
ris, & in Academia Complutensi
Primarij, necnon Archiepiscopa-
tus Toletani Synodalnis
Examinatoris.

TRACTATUS
DE
FIDE DIVINA.

TOMUS SECUNDUS.

*Secunda editio correcta per
Anthonem:*

Anno

1716.



MATRITI.

Typis D. Gabriëlis del Barrio.



Facultas D. Doct. D.
Ioannis Ruiz de Cas-
tañeda , Vice-Vicarij Ge-
neralis Toletani Archie-
piscopatus,&c. Et Religio-
nis cum Censuris Doct. D.
Iosephi Yermo, & RR. P.
Mag. Doct. Antonij Mariæ
Casiani, extant in primo
Tomode Fide.

AZ LA

LA sumā de la Tassa , y
del Privilegio , están
en la primera parte de *Fide.*
De que certifico yo Don
Bernardo de Solis , Secre-
tario de su Magestad , y Es-
crivano de Camara . Ma-
drid , y Junio veinte y cin-
co de mil setecientos y
quince.

D.Bernardo de Solis.

REV.



REV. P. IOANNIS
M A R I N,
O C O N E N S I S,
SOCIETATIS IESU,
TRACTATUS SECUNDUS
D E F I D E.

DISPUT. VIJ.

De Obiecto materiali Fidei.

IN hoc Tractatu prius agemus : An sit possibile aliquid , cui repugnet esse obiectum materiale Fidei ? postea de his , quæ sunt obiectum materiale Fidei .

SECTIO I.

*An sit possibilis aliqua veritas ab
intrinseco irrevelabilis?*

1.



D hanc quæstionem pro exercitandis, & cruciandis ingenij solum utilem: *Sup. 1.*

Ut certum, omne verum esse revelabile quoad possibilitatem: quia de quovis decreto, & de quavis veritate, quam sinas irrevelabilem, potest Deus habere revelationem, qua revelet, possibile esse tale decretum; v. gr. possibile esse decretum nullam producendi creaturam; possibile esse decretum nihil revelandi. Vnde quæstio procedit: An sit possibilis veritas irrevelabilis, quoad existentiam, & veritatem?

2. *Sup. 2.* Hanc quæstionem non attackam ab antiquis, leviter etiam esse attackam à minus antiquis; & solum à RR. latè ventilatam. Ripaida disp. 8. sect. 1. Munief. disp. 3. sect. 1. & Sapientif. Magist. dicunt, possibilem esse aliquam veritatem ab intrinseco irre-

irrevelabilem quoad existentiam absolutam. Communis sensus RR. Thomistarum, quem illustrat Palanco disp. I. quæst. 15. dicit, nullam esse possibilem veritatem, quæ non sit revelabilis quoad existentiam absolutam; seu omne verum possibile esse ab intrinseco revelabile. Placet prima sententia.

3 Prob. I. Decretum metaphysicè connexum cum non revelatione sui quoad existentiam absolutam, est ab intrinseco irrevelabile quoad existentiam absolutam. Sed possibile est decretum metaphysicè connexum cum non revelatione sui quoad existentiam absolutam: ergò. Prob. min. I. Decretum metaphysicè connexum cum eo, quod nulla creatura existat, est metaphysicè connexum cum non revelatione sui. Sed possibile est decretum metaphysicè connexum cum eo, quod nulla creatura existat: ergò. Maior patet: quia si est connexum cum eo, quod non sit, cui reveletur, est connexum cum nona revelatione sui. Prob. min. Possibile est hoc decretum, decerno nullam creaturam viventem producere. Sed hoc est connexum cum eo, quod nulla creatura existat, cui revelari posset: ergò.

4 Respondet Palanco duplicitate
 1. Constituendo decreta libera per
 connotata; & ita dicit pro recto enti-
 tatem actus necessarij, quæ revelabilis
 est, de connotato carentias creature-
 rum, quæ *collectivè* non essent revela-
 biles; secus dividivè. 2. Admittendo
 decreta libera constitui per termina-
 tionem intrinsecam defectibilem; non
 esse possibile eiusmodi decretum, quod
 sit virtualiter unum; sed infinitè multi-
 plex: quia hoc decretum respicit infi-
 nitam obiecta, vel connotata. In primis,
 haec solutio ex recursu ad connotata
 difficultis est: quia ab existentia decreti
 argue ut à priori existentia obiecti; à
 defectu obiecti arguitur à posteriori
 defectus decreti. Sed si solum daretur
 defectus obiecti, seu connotati, dum
 deficit decretum, non argueretur à po-
 steriori defectus decreti; sed solum à
 comitanti identice, ut patet: nec ab
 existentia decreti argueretur à priori
 existentia obiecti: quia pro priori ad
 obiectum nihil esset connexum cum
 obiecto; siquidem per obiectum exi-
 stens pro posteriori constituitur in es-
 se decretum huius, & in esse connexum
 cum hoc obiecto: ergo. Vido circa hoc

varias formas, quas dedimus de constitutive decreti liberi. Si vero decreta constituantur per terminationem intrinsecam defectibilem; in primis hoc decretum, quod vocat virtualiter infinito multiplex esset irrevelabile, *Iuxta ipsum collective*: quia esset irrevelabile secundum omnes terminations collectivè sumptas, licet esset revelabile distributivè, secundum quamlibet scor- sim. Sed hoc decretum *collectivè sumptum*, & secundum omnes terminations *collectivè sumptas*, est aliquid verum, & aliqua veritas possibilis: ergo possibilis est aliqua veritas irrevelabilis quoad existentiam, & veritatem abso- lutam.

5. Confirm. *Iuxta ipsum*, hoc de- cretum est irrevelabile *collectivè secun-* dum quod decernit omnes carentias *creaturerum viventium*; licet *divisivè* secundum quod decernit quamvis, sit *revelabile*. Sed decretum *collectivè se-* cundum quod decernit omnes caren- tias *creaturerum*, est veritas distincta à decreto *divisivè* secundum quod de- cernit quamvis: ergo possibilis est ve- ritas irrevelabilis. Prob. min. Hoc de- cretum *divisivè* est decretum *carentis*

Petri, v. gr. seorsim ab alijs, dicens ut tale carentiam Petri seorsim ab alijs, seu dicens quamvis divisivè; & sic de alijs carentijs. Hoc decretum collectivè est decretum decernens omnes, dicens ut tale omnes carentias. Sed decretum dicens omnes, est virtualiter distinctum à decreto dicente quamvis divisivè; sicut totum distinguitur à qualibet parte divisivè sumpta: ergo hoc decretum *collectivè* est veritas distincta ab hoc decreto *divisivè*. 2. Quod quævis duratio *divisivè* sit pertransibilis, non tollit, quod æternitas distincta inadæquate à quavis sit impertransibilis: ergo quod quævis terminatio huius decreti virtualiter infinitè multiplicis sit revealabilis, non tollit quod hoc decretum collectivè inadæquate distinctum à quovis, & prout sic distinctum, sit irrevelabile. Si ergo semel detur aliqua veritas, quæ prout distincta ab alijs, est irrevelabilis, quid, quod absolutè dicatur, possibilem esse aliquam veritatem irrevelabilem?

6 Deinde præcipue verum est, quod hoc decretum constitutum per terminationes intrinsecas defectibiles, est virtualiter, id est, æquivalenter mul-

multiplex : quia æquivaleret infinitus
decretis distinctis virtualiter ; sicut
scientia visionis , qua Deus cognoscit
creaturas existentes, & visio beata ,qua
beati vident plures perfectiones in Deo,
est virtualiter multiplex in hoc sensu,
quod verò decretum decernens nullam
creataram producere confluatur per
infinitas terminaciones distinctas inter
se virtualiter , seu distinctione virtuali ,
& ita necessario , ut non sit possibile
decretum de nulla creatura viventi
producenda , quod non sit virtualiter
indivisible , id est , quod non habeat
terminaciones virtualiter distinctas in-
ter se distinctione virtuali , qua ratione
suadebitur ? Præsertim cum scientia ,
qua videret nullam creaturam viven-
tem exituram , esset virtualiter indivi-
sibilis in hoc sensu : & cum beati eadem
visione indivisibili virtualiter in hoc
sensu possint videre plures perfectio-
nes in Deo . 2. Quia sic ampliatur ma-
gis dominium Dei , si dicatur , Deum
posse habere liberè decretum eiusmodi
tendentiae signatae , iam per unum de-
cretum , iam per plura , qualia essent de-
cretum constitutum per plures termi-
nationes virtualiter inter se distinctas .

3. Quia

7 3. Quia saltem scientia, qua Deus tunc videret, nullam creaturam viventem extituram, posset esse virtualiter indivisibilis modo dicto propter dicta: quia hoc magis convenit simplicitati Dei. Sed hec scientia visionis esset intrinsecè irrevelabilis, ut potè conneget cum defectu creaturæ, cui revelari posset: ergo possibilis est veritas irrevelabilis quoad existentiam, & veritatem absolutam.

8 Prob. 2. Potest Deus habere decretum, quo loquendo de omni veritate revelabili, dicat *detero nihil omnino revelare*. Sed hoc decretum esset ab intrinseco irrevelabile quoad existentiam, & veritatem absolutam: ergo possibilis est veritas ab intrinseco irrevelabilis quoad existentiam, & veritatem absolutam. Maior videtur vera: quia Deus liberè revelat quidquid revelat, & consequenter cum potestate non revealandi, & potest decernere non factum, quod potest non facere. Prob. min. Decretum, quod loquendo de omni veritate revelabili decernit infallibilitatem nihil revelare, non comprehendit se ipsum, est ab intrinseco irrevelabile. Sed hoc decretum sic decernens nihil

revelare, non comprehendit se ipsum: ergò. Maior est nota: quia si loquitur de omni revelabili, & non comprehendit se ipsum, ipsum non est revelabile. Prob. min. Si hoc decretum comprehenderet se ipsum, in primis esset revelabile: quia ideo comprehenderet se, quia loquitur de omni revelabili, & ipsum est vnum ex revelabilibus. Sed si comprehenderet se ipsum, esset ab intrinseco irrevelabile: ergò. Prob. min. 1. Decretum connexum cum sui non revelatione, est ab intrinseco irrevelabile. Sed hoc decretum esset connexum cum sui non revelatione: ergò. Prob. min. Decretum decernens infallibilitèr sui non revelationem, connectitur cum sui non revelatione. Sed si comprehenderet se ipsum, infallibilitèr decerneret sui non revelationem: ergò.

9 Prob. 2. illa min. Si hoc decretum comprehenderet se ipsum, revelari hoc decretum, esset frustrari: quia decerneret, non revelari, & revelaretur. Sed hoc decretum est ab intrinseco infrustrabile: ergo si comprehenderet se ipsum, est ab intrinseco irrevelabile. Confirm. Scientia, qua Deus cognosceret, se nihil revelabile revelaturum, esset irre-

irrevelabilis. Sed possibilis est hæc scientia: ergo. Minor videtur vera: quia Deus potest nihil revelare, & potest sciire, quod non est facturus. Prob. min. Quia si hæc scientia non loquitur, nec comprehendit se ipsam, cum loquatur de omni revelabili, erit sanè irrevelabilis. Si comprehendit se ipsam, erit revelabilis, & irrevelabilis propter dicta: ergo est ab intrinseco irrevelabilis.

10 Dices: Argumentum probare hoc decretum, & hanc scientiam non posse revelari in sensu composito; posse tamen revelari in sensu diviso. *Contra.* Hoc decretum per te non potest revelari in sensu composito. Sed non potest revelari in sensu diviso: ergo est omnino irrevelabile. Prob. min. Revelari hoc decretum in sensu diviso, est revelari, dari hoc decretum, quando non detur hoc decretum. Sed implicat revelari, dari hoc decretum, quando non detur hoc decretum: quia sic revelari esset, revelationem esse falsam; quod implicat: ergo. Probat. 2. min. Revelatio inconiungibilis cum carentia decreti non potest dari in sensu diviso decreti. Sed revelatio decreti est inconiungibilis cum carentia decretis; ergo.

ergò. Prob. min. Revelatio est incon-
jungibilis cum carentia illius, quod re-
velat ; alias Deus posset revelare , exi-
stere , quæ non existunt : ergo revela-
tio de existentia decreti est inconjun-
gibilis cum carentia decreti.

11 Palanco , renuens 1. solutio-
nem datam ab aliquibus, dici , non esse
possibile tale decretum, quod loquen-
do de omni revelabili, dicat se *nihil re-
velaturum* ; sicut non est possibile de-
cretum , quod loquendo de omni vero
possibili , nihil excipiendo , decernat
nihil revelare : quia si hoc decretum
non loquatur de se ipso, hoc decretum
non est verum possibile. Si loqueretur
de se , esset verum possibile, & non es-
set propter nostrum argumentum : si-
cū ergo nos dicemus , repugnare hoc
decretum ; ita dicit eodem iure repug-
nare primum. Hæc est tota solutio. Si
objicias, quod si nostrum decretum non
excludat revelationem sui , ad exclu-
dendam revelationem nostri deereti
erit necessarium aliud decretum ; & ad
excludēdam revelationem huius, aliud,
& sic in infinitum : & sic dabuntur de
facto infinita decreta libera in Deo:
Renuit solutionem aliquorum dicen-
tium,

tinum, nostrum decretum per primariam terminationem directam excludere revelationem aliorum; & per secundariam reflexam excludere revelationem sui. Et iure renuit: quia si terminatio illa, quam vocas reflexam, & secundariam, est essentialis terminatio- ni directæ, est terminatio primaria, & non secundaria, nisi verbo: & primaria erit connexa cum terminatione hac re- flexa, & secundaria; ut potè ipsi essen- tialis: & consequenter terminatio pri- maria erit connexa cum non revelatio- ne sui. Si terminatio reflexa est contin- gens, & libera superveniens directæ, poterit Deus, habita prima terminatio- ne, non habere secundam, & eam ha- bere, ut velit: & hoc in re est esse duo decreta distincta, & separabilia; & redit argumentum. Præterquam illa ter- minatio reflexa, cum non reflectat su- pra se, ne sit essentialiter irrevelabilis, egebit alia terminatione, ut excludat revelationem primæ reflexæ: & redit argumentum de infinitate. Ideò ipse non renuit concedere in Deo infinitas omissiones liberas (si possibilis sit in Deo pura omissio) vel infinita decreta libera circa carentias rerum: quia res,

qua

quæ deficiunt, cum possunt existeret sunt infinitæ, & sicut multiplicantur decreta circa res positivas contingentes inconnexas iuxta multitudinem creaturarum, ita dicendum de carentijs. Hæc est tota doctrina, quam non vacat per singula impugnare.

12 Contra 1. Quia in propositione argumenti probavimus possibilitatem talis decreti. 2. Probabit aliquis eiusmodi possibilitatem sic; id est, possibile, quod non ostenditur implicare. Sed non ostenditur implicare hoc decretum: ergo. Prob. min. Non ostenditur implicare, quod prudenter potest dici, non implicare. Sed prudenter potest dici, non implicare hoc decretum: ergo. Prob. min. Prudenter potest dici esse, quod probabilitè est; seu quod probabile est esse. Sed probabile est, non dari implicationem huius decreti: ergo. De his formis vide disput. 6. de Vis. sect. 3. in fine. 3. Ideo dicimus non esse possibile decretum, quod loquendo de omni vero possibili decernat *nihil revelare*: quia probamus, dari verum possibile *irrevelabile*; & sic efficit stultum decernens *nihil revelari*, loquendo sine exceptione de omni vero

possibili. Sed non probas ; quod omne verum possibile sit revelabile: ergo nisi probes alia ratione , immerito negas à paritate possibilitatem nostri decreti.

13 Adverte tamen contra aliquos ex nostris. Nos non probare conclusionem hac forma , ex eo , quod Deus decernat *nihil revelare*, & quod hoc decretum non comprehendat se ipsum: quod enim hoc decretū non comprehendat se ipsum, nō probat esse irrevelabile: quia licet esset revelabile , non posset comprehendere se ipsum : siquidem ex dictis, si comprehendet se ipsum esset revelabile , & irrevelabile : cum ergo non comprehendere se ipsum sit indifferens , vt hoc decretum sit revelabile: non probamus esse irrevelabile ex eo, quod non comprehendat se ipsum. Probamus ergo nostram conclusionem ex eo, quod Deus loquendo de *omni revelabiliti* possit dicere, *decerno nihil revelare*: quia est liber , vt aliquid , vel nihil revelet, & ex eo, quod hoc decretum non possit comprehendere se ipsum: quia si Deus loquendo de *omni revelabiliti* possit dicere *nihil revelabo*; & hoc decretum non comprehendit se, signum cla-

tum est , hoc decretum non esse revelabile. Idem dico de scientia , qua Deus iudicet *nihil revelabo* , loquendo de *omni revelabili* , quæ cum non possit comprehendere se , est signum , esse irrevelabilem.

14 Dic̄ta forma arguendi potest ponī sic : Possibile est hoc decretum , *Decerno non loqui cum creaturis*. Sed hoc decretum est irrevelabile : ergo . Prob. min. Decretum connexum cum carentia omnis locutionis ad extra , est irrevelabile. Sed hoc decretum est connexum cum carentia omnis locutionis ad extra : ergo . Ut tamen hæc forma sit recta : similitèr ponendum est , hoc decretum decernere de omni locutione possibili ; & cum non possit comprehendere se ipsum : quia aliàs esset loquibile , & illoquibile ex dictis : ideo est irrevelabile.

15 Prob. 3. Deus , ut potè libere revelans , potest omittere omnem revelationem . Sed omissio omnis revelationis , seu complexum omnium harum omissionum est irrevelabile quoad existentiam absolutam : ergo . Probat. min. Quod essentialiter opponitur cum omni revelatione est irrevelabile . Sed

omissio omnis revelationis, seu complexum omnium harum omissionum essentialiter opponitur cum omni revelatione, ut patet: ergo. *Confirm.* cando solutionem. Collectio omnium omissionum huiusmodi *collectivè* sumpta, essentialiter opponitur cum quavis revelatione. Sed quod essentialiter opponitur cum quavis revelatione est ir-revelabile: ergo haec collectio collectivè sumpta est irrevelabilis: haec est aliqua veritas possibilis: ergo possibilis est aliqua veritas irrevelabilis. *Confirm.* 2. Scientia, qua Deus videret omissionem omnium revelationum, esset irrevelabilis. Sed possibilis est haec scientia: ergo. *Prob.* mai. Scientia essentialiter opposita cum omni revelatione est essentialiter irrevelabilis. Sed scientia, qua Deus videret omissionem omnis revelationis, esset essentialiter opposita cum omni revelatione: quia, ut potè essentialiter vera, est connexa cum carentia omnis revelationis: ergo. Haec forma fortè est clarior, quam quæ ponitur in decreto. *Confirm.* 3. Possibile est decretum, quo Deus decernat omissionem omnis revelationis. Sed hoc decretum esset irrevelabile ex dictis:

dictis: ergo. Solutiones, quæ dari possunt, partim præventæ sunt in ipsa forma argumenti; partim datæ sunt in alijs rationibus. *Obiter.* Non intelligo solutionem vnam Palanco dicentis, collectionem omnium omissionum non esse infinitam: quia est conceptus obiectivus terminis circuascriptus. Quia sic nec æternitas est infinita, nec collectio omnium possibilium est infinita; & quæstio inquirens, an anima Christi possit videre, aut videat in Verbo infinita? est de falso supposito. Sed quidquid sit, an sit infinita, obiectio tenet, ut ipse addit.

SECTIO II.

Solvuntur argumenta.

16

Obijc. contra 3. ratione apparenter difficile.

Omissio omnis revelationis, seu complexum harum omissionum, non magis opponitur cum eius revelatione, quam cum eius carentia. Imò oppositio est eadem: quia revelatio est carentia omissionis omnis revelationis, seu complexi omnium harum omissionum. Sed hæc

omissio omnis revelationis , seu complexum omnium harum omissionum, ita opponitur cum sua carentia ; vt relinquat eam possibilem : quia ut supponit argumentum, potens revelare, liberè omittit revelationem : ergo ita opponitur cum revelatione huius complexi , vt relinquat eam possibilem. Prob. mai. cavendo solutionem. Non est possibilis maior oppositio , quam oppositio contradictoria. Sed complexum omissionum revelationis , non opponitur contradictoriè ; sed contrariè cum hac revelatione reflexa : ergò. Resp. dist. mai. Non magis opponitur cum eius revelatione directa , quam cum eius carentia , permisso modo loquendi, conc. mai. cum eius revelatione reflexa , subdist. & opponitur diverso modo , conc. mai. & non opponitur diverso modo , neg. mai. & dist. min. vt relinquat possibilem revelationem directam , conc. mai. vt relinquat possibilem revelationem reflexā , neg. min. & cons. Ad prob. dist. mai. & est possibilis diversa oppositio extensivè maior , perm. mai. & non est possibilis diversa oppositio extensivè maior , neg. mai. & conc. min. nego cons.

17 Itaque complexum harum omissionum opponitur contradictione cum quavis revelatione directa, & relinquit liberam, & possibilem quamvis revelationem directam, proper rationem argumenti, opponitur contradictione cum revelatione reflexa, & ex hoc nascitur diversa oppositio extensivè maior: quia unum contradictorium, v. gr. Petrus solum opponitur cum eo, quod existat eius carentia in sensu composito existentiae Petri; non vero cum eo, quod existat eius carentia in sensu diviso existentiae Petri; at vero complexum omissionum revelationum possibilium, opponitur cum eo, quod existat revelatio reflexa in sensu composito ipsarum: quia si existeret, esset possibilis, & sic existerent duo contradictionia simul, scilicet omissione omnium revelationum possibilium, & una revelatio; & etiam opponitur cum eo, quod existeret revelatio in sensu diviso omissionis omnium revelationum: quia si dum revelat, dari omissionem omnium revelationum, non daretur omissione omnium, revelatio esset falsa. Haec esse sunt confusa. Permissi oppositiones contradictionem esse maiorem opposi-

tione contraria, etiam in materia necessaria, & impossibili: quia nescio, cur opponatur magis, *omnis homo est animal*, cum hoc, *aliquis homo non est animal*; quam cum hoc, *nullus homo est animal*: quia formaliter plus requiritur, ut *nullus homo sit animal*; quam ut *aliquis homo non sit animal*: & realiter aequaliter impossibile est unum, ac aliud.

18 Obijc. 2. Eatenuis hoc dictatum *Nihil revelabo connectere* ut cum carentia omnis revelationis: quia si existeret aliqua revelatio, frustraretur decretum. Sed non frustraretur, et si existeret revelatio decreti: ergo non negatur cum carentia revelationis decreti. Prob. min. Decretum solum frustratur per oppositum rei decretæ. Sed decretum non decernit carentiam revelationis decreti. ergo. Resp. dist. mai. Quia si existeret aliqua revelatio distincta à revelatione decreti frustraretur, cōc. mai. quia si existeret revelatio ipsius decreti frustraretur, neg. mai. & conc. min. neg. conf. Ad prob. conc. solum loquendo de frustratione formalis. Itaque hoc decretum, ideo connectitur cum carentia revelationis aliarum rerum: quia si existeret revelatio aliarum

rerum

rerum frustraretur; at vero non ideo connectitur cum carentia revelationis sui, quia si existeret revelatio sui frustraretur; sed quia loquendo *de omni revelatione possibili* decernit nihil revelare, & non decernit de revelatione sui: ex quo sequitur, revelationem sui non esse inter possibles.

19 Obje. 3. Palanco: Si decretum nihil revelandi esset possibile, esset affirmabile a Deo ad intra. Si est affirmabile ad intra, est affirmabile ad extra, seu revelabile: ergo si tale decretum est possibile, est revelabile. Prob. min. Quia si est affirmabile ad intra, nihil potest Deum impossibilitare, ut illud affirmetur ad extra. Confirm. Quaevis creatura potest affirmare ad extra quidquid potest affirmare ad intra. Sed non minus universalis est potentia locutiva Dei: ergo potest affirmare ad extra quidquid potest affirmare ad intra: alias Deus minus posset in loquendo, quam homo; aut haberet eius potentia locutiva limitativum, quod non haberet homo. 2. Nullum est secretum possibile Dei, quod non sit cognoscibile ab homine: quia omnia continentur sub ratione veri, & homo est intrin-

secè potens cognoscere quidquid continetur sub ratione veri , quod est obiectum formale intellectus. Sed secreta Dei solum sunt cognoscibilia ab homine per revelationem : ergo nullum est secretum possibile , nec decretum Dei irrevelabile.

20. Confirm. 3. Ideò omne verum est intelligibile , quia continetur sub ratione formalis potentiae intellectivæ. Sed omne verum cognitum continetur sub ratione formalis potentiae locutivæ: ergo est loquibile, & revelabile. Prob. min. Nulla est ratio formalis obiectiva assignabilis potentiae locutivæ , nisi ratio veri cogniti à Deo : quia aliqua ratio formalis, & à priori debet assignari, ut ea, quæ revelantur, sint revelabilia : & nequit assignari alia , nisi quia sunt verum cognitum. Nec dici potest rationem à priori cur sit revelabile , quod revelatur , esse verum nonrepugnans fæ revelationi : quia hæc non repugnantia non est primum prædicatum rei revelabilis : ideoque non repugnantia fundatur in aliquo prædicato positivo priori : assignetur ergo quodnam sit illud prædicatum prius , & universalius , & nullum aliud inventetur,

pietur , nisi ratio veri cognoscibilis à Deo. Nec dici potest esse revelabile ex ratione communi veri cognoscibilis ; & intrinsecè irrevelabile ex ratione particulari : quia quod positivè convenit ex ratione communi , non potest repugnare ex ratione particulari : ideoque si ex ratione communi convenit positiva capacitas revelationis , non dico negativa , seu præcisiva ; sed positiva ; non potest hæc capacitas repugnare ex ratione particulari .

21 Resp. Tale decretum est affirmabile ad intra , quia est verum , non verò ad extra : quia impedit natura talis decreti , cui ex nostris rationibus repugnat revelari . Ad primam confirmationem falsum est , creaturam posse affirmare ad extra , quidquid potest affirmare ad intra : quia potest Deus loquendo de omni veritate loquibili ad extra per creaturam ita decernere , *Tu nihil loqueris ad extra* , & hoc revelare creaturæ ; & creatura potest assensu supernaturali assentiri huic revelationi . Hic assensus essentialiter verus affirmat ad intra , creaturam nihil locuturam ex his , quæ potest loqui . Sed non affirmat de ipso assensu : ergo talis assensus non

est affirmabilis ad extra. Minor patet: quia si affirmaret de se ipso , esset affirmabilis ad extra , vt supponis ; & non esset ut potè metaphysicè connexus cum sui non affirmatione.

22 Ad 2. Dist. mai. Nullum est secretum possibile Dei , quod non sit cognoscibile ab homine quoad possibilitem , conc. mai. quoad existentiam absolutam , subdist. quod non sit cognoscibile per ostensionem in verbo , permit. mai. per locutionem , & revelationem , neg. mai. Itaque homo potest cognoscere omnia secreta quoad possibilitem: quia sic videtur satisfiri rationi veri , si scilicet cognoscatur possibilem esse existentiam absolutam talis decreti ; & permitto omne secretum Dei esse cognoscibile quoad existentiam absolutam per ostensionem in verbo ; non tamen est sic cognoscibile per revelationem , propter nostras rationes. Permissi quoad cognosci per ostensionem in verbo : quia non est adeò certum , omne secretum Dei esse cognoscibile à creatura quoad existentiam absolutam : quia similitèr imaginare possumus , Deum loquendo de omni secreto cognoscibili , posse decer-

nere,

nere , Petrum nullum ex secretis cognoscibilibus cognoscere, siquidem libere decerneret cognitionem cuiusvis. Ecce hoc decretum est incognoscibile à Petro , ut potè connexum cum sui non cognitione propter rationem conclusionis.

23 Ad 3. Iam diximus, quo sensu omne verum sit cognoscibile , scilicet quoad possibilitatem. Sed admisso omni verum esse absolutè cognoscibile; non omne verum cognitum est locutibile : quia ratio formalis potentiae locutivæ non est *verum cognitum*: potentia verò locutiva sàpè tendit in falsum ad decipiendum, & mentiendum ; quo ergo iure erit eius ratio formalis *verum cognitum*, seu apparentè verum; nisi forte *verum* intelligas veritate transcendentali: & quidem Deus solum potest loqui verum veritate obiectiva, & formalis; sed nec *verum cognitum*, ita sumptum est ratio *sub qua* potentiae locutivæ: ratio enim *sub qua* potentia locutiva attingit verum cognitum est sub ratione *ostensibilis alteri* : quia cum locutio intendat ostendere alteri verum interposita authoritate , ratio sub *qua* potentia locutiva attingit verum est

ostens-

ostensibilitas, seu *verum*, ut *ostensibile* alteri interposita *authoritate*: probes ergo omne *verum* esse *sic ostensibile*, & probabis esse *revelabile*. Si dicas esse *revelabile*, & *ostensibile* dicto modo esse idem *formaliter*, est *verum*; sed *clarior* est *ostendibilitas* *interposita* *authoritate*, quam *revelabilitas*; sicut *homo*, & *animal rationale* sunt idem *formaliter*; & *clarius* est *animal rationale*, quam *homo*.

24 Obijc. Palanco 4. Tale decretum solum excludit *revelationem eorum*, quæ decernit, non *revelare*. Sed solum decernit, non *revelare* *revelabilia* à se disincta: ergo solum excludit per se, & *intrinsecè*, quod alia non *revelentur*; & permittit, ipsum *revelari*. *Explicat*. Potest Deus decernere *nulum decretum liberum concipere*: quia decreta liberè concipit, & potest omittere; sed tamen hoc decretum non excludit se ipsum, vt patet. Item potest *revelare se nihil revelaturum*, & permittere *se nihil permisurum*: quæ non excludunt se ipsa: ergo decretum nostrum *nihil revelandi*, et si *universaliter* tendat non excludit *revelationem sui*. 2. Deus potest habere decretum similis

tendentiae signatae decernens *nihil revelare*, attingens omnia, quae possint attingi, & quod non sit intrinsecè irrevelabile: ergo decretum nostrum non est intrinsecè irrevelabile; vel saltem non est tale ex modo tendendi signato; et si ex modo tendendi signato, nec ex universalitate signata est irrevelabile.

25. Resp. Tale decretum solum excludere imperativè revelationem eorum, quæ decernit non revelari; entitativè, & identicè excludit revelationem sui propter nostras rationes. Ad primam explicationem conc. antec. vel permis. dist. conf. Decretum nostrum, et si universaliter tendat, non excludit revelationem sui ex modo universaliter tendendi *signato*, conc. conf. ex modo universaliter tendendi *exercito*, neg. conf. vel sic: non excludit revelationem sui, et si modo universalissimo tendat *signaturè*, conc. conf. et si modo universalissimo tendat *exercitè*, neg. conf. Itaque decretum nostrum non excludit revelationem sui præcisè ex eo, quod decernat *nihil revelare*; sed ex eo, quod sic decernat, & comprehendat omne revelabile; quia si attingit *non revelabile*, cum non possit loqui de se ipso, legitur,

quitur, quod ipsum non est revelabile? Seu clarius est *irrevelabile* ex eo, quod loquendo de omni revelabili sic decernat: & ex eo, quod non loquatur de se ipso. Secunda pars est manifesta, & primam iudicamus verisimilem: nulla enim apparet implicatio in eo, quod possit loqui de omni revelabili. Exempla tamen posita in antecedenti non attingunt omne decretum, omnem revelationem, & omnem promissionem: quia ut supponis, & verè, non attingunt decretum reflexum, revelationem reflexam, neque permissionem reflexam; hæc magis constabunt ex dicēdis.

26 Ad 2. conc. ant. neg. conseq. vel claritatis gratia dist. ant. Deus potest habere decretum similis tendentiae attingens omnia, quæ possunt attingi per hoc decretum *decerno nihil revelare*, quin sit irrevelabile, conc. ant. omnia quæ possunt attingi per hoc, & per alia decreta *non revelandi*, neg. ant. & conf. quia nostrum decretum attingit omnia revelabilia, ut probavimus; & consequenter attingit omnia, de quibus tam per hoc, quam per alia decreta, decerni potest *non revelari*: ideoque cum attingat se ipsum est irrevelabile;

bile; at verò dari potest decretum de-
cernens *nihil revelari*, quod non attin-
gat omnia revelabilia, & attingat om-
nia, quæ per ipsum possunt attingi;
quia potest ipsum esse revelabile, cum
non probetur irrevelabilitas ex eo pre-
cisè, quod sic tendat, nec ex eo, quod
non attingat se: quia etsi esset revela-
bile, & sic tenderet *nihil revelabo* non
poterat attingere se ipsum, propter di-
cta; & tunc per aliud decretum posset
Deus decernere, non revelare hoc de-
cretum: est ergo irrevelabile ex eo,
quod dicat *nihil revelabo*, loquendo de
omni revelabili; & quod non loquatur
de se ipso, ex dictis.

27 Quod autem possit dari similis
tendentia signata in duplice actu, &
quod unus exercitè attingat obiectum,
quod non attingat alius. Prob. Possunt
dari hæc duæ revelationes, *ego habeo*
aliquam cognitionem: *ego habeo aliquam*
cognitionem, quarum alia attingat cog-
nitionem dirigentem, secus altera. Pos-
sunt dari hi actus, *Petrus est homo*: *Pe-*
trus est homo, quorum alter attingat so-
lum naturam humanam Petri, alter at-
tingat naturam omnium hominum, &
equivalent quoad obiectum huic, *Petrus*

est aliquis homo, vt diximus in Logica.
 Item hi actus *animal, animal* cum simili
 tendentia signata, & potest vnuſ attin-
 gere rationale; alijs irrationalē: vt pa-
 tet in exemplo animalis à longè vulga-
 ri in p̄æcisionibus: ergo possunt dari
 actus similis tendentiæ signatæ haben-
 tes diversa obiecta. Itaque decretum
 nostrum est illativē irrevelabile ex ob-
 jecto suo exercito: hoc est, ex eo, quod
 attingendo omne revelabile, decernat
nihil revelare, non ex objecto suo sig-
 nato; hoc est, non ex eo, quod decer-
 nat *nihil revelare*.

28 Ex his patet posse dari decreta
 similis tendentiæ signatæ, quoruſ vnuſ
 sit revelabile, & aliud irrevelabile: si-
 cut dicemus agentes de condonatione
extrinseca, posse dari actus huius ten-
 dentiæ *nolo indignari*: *nolo indignari*,
 quorum vnuſ sit formalis condonatio,
 secus alter: & cum simili tendentia sig-
 nata circa existentiam Angeli, potest
 vna volitio esse creatio Angeli; secus
 alia, & simili tendentia signata, *ne come-
 das*: *ne comedas*, potest vnuſ actus esse
 p̄æceptum; secus alius; & cum simili
 tendentia signata *dabo tibi hoc*: *dabo ti-
 bi hoc*, potest vnuſ actus esse p̄icmissio;
 secus

secus alter: quia hæc prædicata convexare iudicamus actibus ex modo tendendi exercito; non ex modo tendendi signato: sicut cum simili modo tendendi signato alter actus est supernaturalis, alter naturalis: quia hæc prædicata non relucet in modo tendendi signato. Itaque forte potest dari decretum sic præcisè tendens *decerno non existere Petrum*, quod sit ab intrinseco irreveribile: quia non apparet implicatio in eo, quod cum hoc modo tendendi signato communi habeat exercitè prædicatum speciale, & tam speciale.

SECTIO IIJ:

An sit possibilis aliqua veritas revelabilis incredibilis per fidem?

29 **D**ubitari potest, an sic possibilis aliqua veritas revelabilis incredibilis per fidem, seu cui repugnet esse obiectum materiale fidei? Ad resolvendas quæstiones de possibili plerumque inutiles, regum qualemqualem dedimus disp. 6. de Bonitate, sect. 5. à num. 85. Cum enim ex possibilitate vnius rei sequantur

Impossibilitates alterius; & contra : illa dicenda sunt possibilia , ex quibus pauciora impossibilia , & minus dissonantia inferuntur , ibi etiam diximus , quod licet impossibilitas sit conceptus affirmativus , & ideo ad adstruendam directe impossibilitatem alicuius rei requiratur fundamentum positivum ; at vero ad adstruendam indirecte impossibilitatem rei A , v. gr. sufficit fundamentum negativum , seu non apparere implicationem in positione rei B , ex cuius possibiliitate sequitur impossibilitas rei A .

30 Ad præsentem. Lugo disp. 3 : & eius Discip. Esforcia , cap. 5 . dicunt possibilem esse aliquam possibilitatem revelabilem , quæ sit essentialiter incredibilis ; quia Deus potest revelare hanc veritatem ad nullum actum fidei concurrens : cum liberum sit Deo concurrere , & non concurrere : & liberum sit revelare , & non revelare . Hæc veritas est connexa cum carentia fidei erga ipsam , ut patet : ergo possibilis est veritas revelabilis essentialiter connexa cum carentia fidei erga ipsam : & consequenter est possibilis veritas essentialiter incredibilis . Iudico possibilem esse ve-

ritatem revelabilem, quæ sit essentialiter incredibilis fide supernaturalis: quia nulla apparet implicatio: siquidem non apparet implicatio in eo, quod Deus habeat hoc decretum, seu verificet hanc propositionem, *Ad nullum actum fidei supernaturalis concurrat.* Et semel verificata, non apparet implicatio in eo, quod ipsam revelet. Quia si aliqua appareret implicatio, esset, quia non posset dari assensus tali revelationi, nec credi Deo sic loquenti: idcōque stulta esset locutio; sicut stultum esset loqui cum pariete incapaci audiendi. Sed hæc ratio non tenet, posito illo addito fidei supernaturalis: ergo. Prob. min. Quia facta tali revelatione, possimus credere fidei naturali talem veritatem: & insuper possemus assentiri tali revelationi assensu materialiter certo fundato in argumentis credibilitatis, qui assensus non sit actus fidei: & eodem assensu possemus assentiri illi veritati,

31 Non dixi possibile esse hoc decretum; sed possibilem esse hanc veritatem; quia sic universalius, & fortè expeditius proponitur argumentum, quia multa potest Deus revelare, quæ non potest decernere: & in veritate obie-

Activa potest includi, quod non potest includi in obiecto decreti. An vero etiam sit possibilis veritas revelabilis essentialiter incredibilis, etiam fide naturali? Dic quod velis.

§. I.

32 His praetatis omnes sentiunt cum D.Thom. hic quæst. 1. art. 1. Suarez disp. 2. de Fide, sect. 1. inter obiecta materialia fidei Deum esse obiectum principalius; & in quod reliqua ordinantur. Hac ratione semper fuit necessarium necessitate medijs credere quia est, & quod *Remuneratur* sit. An vero Deus sit obiectum primarium fidei, secundum rationem Deitatis, & essentiae; an sub ratione *Saluatoris*, & *Remuneratoris*, queri potest. Aliqui antiqui apud Suarez disp. 2. sect. 1. num. 6. dixerunt, Deum sub ratione *Saluatoris*, aut *Glorificatoris* esse obiectum primarium fidei. Ex Ioan. 20. *Hæc scripta sunt, ut credaris; & credentes vitam habentes in nomine eius.* Vnde Calvinus reprobavit Theologos, quod dicant, Deum ut Deum esse obiectum primarium fidei; & non etiam Deum

ut hominem , seu Christum , cum eius fidei potissimum postuletur in Evangelio , & salus nostra illi tribuatur . Communis tamen sensus DD. cum D. Thom. hic , Suarez disp. 2. sect. 1. num. 5. & 7. tenet Deum secundum rationem essentiae esse obiectum primarium fidei : quia nobiliora , & principaliora sunt praedicata necessaria , quam praedicata contingentia *Salvatoris* , & *Glorificatoris* . & inter necessaria , præcipuum locum habere essentia , quæ est radix reliquorum . Lumen gloriae , pro quo substituit habitus fidei , primario datur ad videntiam essentiam Dei , & eius praedicata . Post Deum , succedit secundo loco *Christus* : posteà sacramenta , & reliqua revelata , ut docent Theologi cum D. Thom. hic quæst. 1. art. 1 ad 1. Ideò obiectum principale fidei est incomplexum : quia est Deus omnino simplex : obiectum adæquatè sumptum est complexum : quia resultat ex distinctis veritatibus . Modus attingendi obiecta est complexus : quia fides iudicativè attingit obiecta . I-a D. Thom. hic art. 2.

33 Dubitari potest : An non solum revelata ; sed etiam revelabilia sint etiam obiectum materiale fidei ? Puente

Hurtado disp. 19. Granad. tract. 10:
 disp. 6. scđt. 3. sine distinctione di-
 cunt, veritates actu revelatas esse ob-
 jectum materiale fidei. Gasp. Hurtad.
 disp. 1. diffic. 3. dicit, solas veritates
 revelatas esse obiectum materiale fidei;
 non vero revelabiles. Suarez disp. 2.
 scđt. 2. Oviedo controv. 1. num. 5 di-
 cunt, non solum revelata; sed etiam
 revelabilia pertinere ad obiectum ma-
 teriale fidei. Placet hæc sententia; sed
 claritatis gratia, dicendum, obiecta re-
 velata pertinere ad obiectum materiale
 actuale, & proximum ex te fidei; obie-
 cta revelabilia esse obiectum materiale
 aptitudinale, & remotum: quia habitus
 fidei non solum habet virtutem facien-
 di actus fidei circa obiecta de facto re-
 velata; sed etiam circa alia obiecta, si
 revelentur.

34 Dubium esse potest, an obiecta
 revelabilia, seu revelanda possint cre-
 di ut obiectum proximum fidei, ex mo-
 tivo revelabilitatis, seu revelationis fu-
 turæ? In hac quæstiuncula, *Sup.* quod
 si Deus modo revelaret, se revelatu-
 rum cras aliquod mysterium, ex vi hu-
 ius revelationis poteramus credere fu-
 turum esse illud mysterium. Similiter, si

Deus

Deus revelaret, possibile esse, quod Deus revelet aliquod obiectum: ex vi huius revelationis poteramus assentiri, seu credere esse possibile illud obiectum, fide magis, vel minus stricta, ut dicimus disp. 7. loquendo de revelatione mediata. Vnde dubium solum est, *An ex vi solius revelationis futura, quæ nobis aliundè constet, possimus crede-re obiectum futurum?*

35 M: nies. disp. 3. sect. 1. cum communi negat. Ratio est: quia credere non est, vt cumque assentiri obiecto; sed assentiri, quia alter dicit; non quia dicit. Sed dum revelatio est possibilis, aut futura. Deus non illud dicit: ergo licet possimus assentiri ex vi revelationis futuræ, obiectum esse futurum: non possumus credere, seu ille actus non erit actus fidei. Prob. mai. Ad Rom. 10.
Quomodo credent ei, quem non audierunt?
Quomodo autem audient sine prædicante? Et infra ex verb. *Quis creditur audiuit nos tro, infert, ergo fides ex auditu: audi-tus autem per verbum Christi.* Sed non esset ex auditu, nec quia alter dicit, al-fensus, qui niteretur revelationi possi-bili, aut futuræ: quia locutio non au-ditur, donec existat: ergo. *Confirm.*

Ali-

Aliqui actus non solum specificantur ex obiecto formalis; sed etiam ex modo tendendi circa obiectum formale. Hac ratione apprehensio, iudicium, & discursus, et si habeant idem obiectum materiale, & formale, sunt diversa, & iuxta communem sententiam non esset actus fidei, qui niteretur revelatione clare cognita. Sed actus credendi non solum petit moveri ex revelatione Dei; sed etiam moveri ex revelatione existente, ut probavimus: ergo assensus, qui moveretur ex revelatione possibili, aut futura, non esset actus credendi; sed assensus fidei reductivè, & latè.

36 Confirm. Munies. Authoritas præceptiva non applicatur sufficienter ad usum, & exercitium obedienti, nisi per præceptum existens: ideo non possit dici stricta obedientia actus, quo quis vellet exequi, quia superior præcipiet. Authoritas promissoria non applicatur sufficienter ad exercitium confidentiae nostræ per promissionem futuram; sed per actualem: ideo nemo confidetur secure, quia Deus promitteret; sed quia promisit: nec argueretur infidelis, qui non daret res, quas promitteret; sed quas actu promisit: ergo autho-

authoritas assertoria non applicatur sufficien̄ter ad usum ciedendi per revelationem futuram; sed per revelationem actualēm. 2. Quia si revelabilia essent obiectum proximum fidei, diceretur agere contra fidem, qui dissentiret veritati, quam Deus posset revelare. Sed hoc est planè absurdum: quia non dicitur agere contra Religiorem, qui non implet, quæ iurare potuit: nec contra fidelitatem, qui non dat, quæ promittere potuit: ergo non sunt obiectum actualē, & proximum fidei. An verò esset hæresis, negare esse verum obiectum, quod Deus revelabit cras; vel aliam censuram merebitur? Quoad primam partem pendet ab hac ipsa quæstione: quia si probabile sit non esse obiectum fidei; illud negare, non esset hæresis: & quidem negans non punieretur ut hæreticus; mereretur tamen censuram infra hæresim. Hæc satis probabilia sunt, probatio, & confirmatio.

37 Nihilominus proponam, quæ in contrarium occurruunt quæ aliorum iudicio relinquo. Prob. esse actum fidei. 1. Actus infallibilis, quo propter authoritatem alterius assentimus obiectione ex se, vel se difficulti, est actus fidei,

&

& actus credendi. Sed actus assentiens
hodie mysterio, quia Deus illud dicat
cras, potest esse eiusmodi: ergo. Prob.
mai. 1. Actus obsequium praestans au-
thoritati alterius in assentiendo myste-
rio, & captivans intellectum in assen-
tiendo propter autoritatem alterius,
est actus fidei, & credendi. Sed actus
assentiens hodie mysterio valde diffi-
lli, quia Deus illud dicet cras, est hu-
iusmodi: ergo. Prob. 2. mai. Actus,
qui movetur ex fine virtutis pertinet
ad virtutem, nisi aliundè constet op-
positum. Sed actus assentiens hodie,
quia Deus dicet cras, movetur ex mo-
tivo fiduci, seu ex autoritate alterius; &
non constat non pertinere ad virtutem
fidei: ergo. Maior est vera: quia talis
actus est obsequiosus virtuti, & ad ali-
quam virtutem pertinet, & non est
alia, & habet specificativum proprium
virtutis. Prob. min. ex eo quod actus
non habeat ea, quæ frequentè solent
dari in actibus virtutis, non ideo con-
stat non esse illius virtutis, si aliundè
moveatur ex motivo virtutis; præfer-
tim si sit obsequium virtuti: ergo. Pro-
bat. antec. Quia hac ratione dicimus,
actus motum ex revelatione evidenter
cogni-

cognita , esse fidei : & actum fidentes
desiderans obiectum non difficile esse
spei : & sectione sequenti dicemus, per-
tinere ad fidem actum habentem pro
motivo revelationem privatam, et si non
sit publicè, nec universaliter proposita;
& sic de alijs ibi ; de charitate , & obe-
dientia : ergo.

38 . Confirm. Quamvis meritum
movet quia est , dicimus disp. 5. de
Merito , meritum futurum , prævisum
in intentione habere posse motionem
meriti , quia moraliter est. Sed revela-
tio futura eras , moraliter est hodie in
ordine ad movendum assensum : ergo
moraliter est hodie in ordine ad cre-
dendum , casu quo actus fidei requirat,
quod revelatio sit. 2. Aliud est , quod
revelatio futura cras cogat ad creden-
dum hodie : aliud , quod possit move-
re ad credendum hodie ? Ad 1. non
cogit : quia ad hoc requiritur actualis
revelatio in re existens ; ad secundum
sufficit , quod futura sit : sicut hoc ip-
sum reperitur in merito futuro , quod
non cogit ad præmiandum ; antequam
in re sit ; sed antequam in re sit potest
moveare motione propria meriti. Simi-
litas aliud est quod præceptum futu-
rum

rum cras , non vrgeat hodie ; aliud ;
quod non sit actus heroicæ obedientiæ
respicientis natum voluntatis superio-
ris , habere hodie voluntatem faciendi
cras illam rem ex motivo obedientiæ
quæ voluntas se moveat ex honestate
se subjiciendi præcepto moraliter futu-
ro. Primum est verum. Secundum est
falsum. 3. Qui certus esset , cras pro-
mittendam esse absolute gloriam , cum
magna confidentia posset hodie sperare
gloriam : licet hodie non cogeret pro-
missio ad dandam gloriam : ergo simi-
litèr. Antec. milii videtur notum : &
credo minori fundamento nisi plures
spes humanas , quæ iudicantur pru-
dentes.

39 Confirmabit alijs. Habitus
misericordiæ habet moveri à bono su-
blevandi miseriam , sive actuali , sive
futuro. Logica respicit actus intelle-
ctus non solum directos , sed etiam dis-
ponibiles in demonstrationem , vel mo-
dum sciendi , vel syllogizandi : ergo
habitus fidei habebit moveri ex verita-
te revelata , revelanda , & revelabili.
2. Quia negans mysterium , quod mor-
aliter certo constaret esse revelan-
dum cras , ea publicitate , qua modo
con-

constat alia esse revelata , fortè punirentur vt hæreticus ; aut illa esset hæresis , quamvis non puniretur , vt hæreticus , vt in simili dicemus de negante verum Pontificatum Clement. XI. aut esset infidelis , vel simili censura dignus. Sed esset talis , nisi posset mouere actum fidei : ergò. Hæc aliorum iudicio res linquo.

SECTIO IV.

An obiectum revelationis private possit credi Fide Theologica?

40

Sup. 1. Revelatio publica est , quæ ab Ecclesia proponitur omnibus credenda ; sive sit de re ad omnes pertinente ; sive ad unum : ut salus Ezechiae per Isaiam revelata , & alia. Revelatio privata est illa , quam habet persona privata de rebus ad se pertinentibus , vel ad alios , vel ad omnes ; sed ab Ecclesia non proponitur credenda. Sup. 2. Hæret. nostri temporis apud Bellarm. lib. 3. de Verbo Dei , cap. 3. dicere , ad credendum non sufficere revelationem publicam ; sed requiri , quod cuique fiat immediatè revelatio privata : quod intendunt sua-

de-

dere ex Hieron. 3 i. *Dabo legem in corā
dibus eorum, & non decebit ultra vir po-
pulum suum*, dicens, cognoscet Dominum
omnes enim cognoscent me ex minimo ad
maximum. Marth. 23. *Ne vocamini Ma-
gistri: unus est enim Magister vester.*
i. Ioan. 2. *Vnctionem, quam accepisti in
vobis maneat, & non necesse habebitis, ut
quis doceat vos; sed sicut unctio eius do-
ceat vos de omnibus.* Et quia sicut nemo
potest credere sine gratia illustrationis
unicuique à Deo immissa; ita dicunt,
non posse revelatione unicuique à Deo
immediatè facta: quia illa illustratio
videtur revelatio. De his latè Bellarm.
supra, & Maldon. super hæc loca. Cu-
ius oppositum constat ex Ioann. i. ubi
de Baptiste. *Missus est à Deo, ut omnes
crederent per illum.* Marc. vltim. *Pre-
dicare Evangelium omni creature, qui
crediderit, & baptizatus fuerit, salvus
erit.* Cum ergo certum sit, non requi-
xi revelationem privatam ad creden-
dum. Dubitatur inter Catholicos: An
sufficiat ad credendum revelatio pri-
vata?

41 In primis certum est i. Ali-
quem posse assentiri mysterio fide
Theologica, quæ non sic *Catholica. v.gr.*
Pax.

Parochus ex vi revelationis vniuersal^{is}
 puer ritè baptizatus est in gratia; potest credere fide Theologica, hunc quem baptizavit, esse in gratia: quia potest ipsi omnino certo applicari hæc revelatio respectu huius, & quia non est vniuersaliter applicata omnibus respectu huius: hic assensus non est fidei Catholicæ. Certum est 2. Cui facta est revelatio privata, aliquando teneri assentiri revelationi, vel saltem non dissentiri: ut patet ex Genesi 18. & ex Luca 1. vbi reprehenduntur Sara, & Zacharias, quod fuerint increduli revelationibus de filijs. Certum est etiam, talem personam assentiri posse ex motivo fidei. Dubitatur tamen, an hic assensus eliciatur à prudentia infusa à gratia prophetice, vel à fide? Hoc est, an, sicut aliqui dicunt, circumstantiam obscuritatis esse indispensabiliter requiritam, ut sine illa non possit dari actus fidei Theologicæ; ita etiam sic requirita circumstantia publicitatis, seu propositionis per publicos Ministros, Prophetas, Apostolos, Scriptores Canonicos, aut per Ecclesiam: Certum est etiam revelationes privatas factas personis privatis circa res communes sive

circa bona privata non posse fide Di-
vina , vt *Catholica* , credi; licet respectu
ipsius detur moralis certitudo , si non
sit vniversaliter pr oposita revelatio:
quia revelatio, vt est *Catholica*, seu *uni-
versalis* , pertinet ad totam Ecclesiam,
& consequenter dicit vniversalem pro-
positionem Ecclesiæ.

42 Prima sent. dicit, non pertine-
re ad fidem Theologicam. Ita Caietan.
Soto , Cano , Bañez , Ferre , Salmant.
disp. 1. dub. 4. & communiter Tho-
mistæ. Consentit Palanco disp. 1. q. 4.
si Deus aliquid privatim revelaret sine
ordine ad ipsum Deum: cum omnia re-
velata dicant ordinem saltem intrinse-
cum ad Deum, vt dicemus , & condu-
cant ad cognitionem Dei ; limitatio
signata,nihil possit exercitè: vel est ea-
dem circa Secunda sententia afferit
pertinere ad fidem Theologicam,quan-
do obiectum revelationis privatæ per-
tinet ad Religionem Christianam , &
ad Deum tanquam ad finem specialem
reducitur , quando vero pertinet ad
rem temporalem , eius assensus spectat
ad donum Prophetiæ : quia fides vide-
tur differre à prophetia,quod hæc res-
pectuat aliquid temporale ; illa aliquid

æternum, ut insinuat D. Thom. in 32
dist. 24. quæst. 1. art. 1. & quæstiunc. 1.
art. 3. Ita Lorca disp. 7. Gonet disp. 1.
art. 3. Tertia sent. afferit quamvis re-
velationem sufficièter propositam pos-
se credi fide Theologica. Ita Eximius
Doctor disp. 3. sect. 10. Bellarm. Co-
ninc disp. 9. Ripalda disp. 7. sect. 1.
Hauln. lib. 3. tract. 1. cap. 1. Munies.
disp. 3. sect. 12. & communiter no-
strī, quos sequitur Sendin controv. 6:
a num. 10. & Cathierinus afferit ut te-
stis P. Lainez eam defendisse in Tridentino,
contra Sotum, & à Concilio fuis-
se approbatam apud Lugo, & Amicum.
Lugo disp. 1. sect. 2. dicit, posse credi
fide Theologica ab illo, cui sit revela-
tio, & ab illis coram quibus Deus lo-
quitur, secus ab alijs. Quoad 1. consen-
tit Palanco supr. si revelaret cum ordi-
ne ad Deum; & intendit, id debere esse
de mente Thomistarum; etsi videatur
ipsis ipsis repugnare.

43 Placet sententia Eximij Suá-
rez, quam ipse vocat omnino sibi ve-
ram. Probari solet ex Trident. sess. 6.
cap. 12. vbi dicit, neminem posse scire,
qui sint à Deo electi, nisi per specialem
revelationem, can. 16. vbi dicit, nemi-

nem posse esse certum certitu line fidei de sua gratia , nisi per specialem revelationem. Hæc tamen ad summum probant, posse credi ab illis, quibus fit revelatio. Similiter explicari posset ex Innoc. IIJ. cap. *cum ex iniuncto*, de hereticis, vbi ait, revelationi speciali non esse adhibendam fidem , nisi miraculo confirmetur; quamvis hic videatur cum omnibus loqui: verum loqui de fide Theologica , videtur patere : quia sine distinctione loquitur ; & quia non datur vrgens fundamentum, ne ita intellegatur.

44 Prob. conclusio. 1. Iuxta alios quos Thomistos , si Deus privatim revelaret alicui veritatem contentam in Scriptura , aliunde ipsi non propositam, posset credere tali revelationi fide Theologica. Sed hic assensus vnicè moveretur ex revelatione privata : quia supponimus, non revelari reflexè, quod illa veritas sit in Scriptura : ergo si Deus privatim revelet saltem res ordinatas ad Deum, poterit illa revelatione credere fide Theologica. Prob. conseq. Ideò 1.est verum iuxta Ioan. à S. Thom. quia Deus potest supplere propositionem Ecclesiæ . Sed si possit suppleri

propositio Ecclesiae, potest credere per revelationem privatam : quia solum differt à publica in propositione: ergo. Prob. 2. Nihil deficit actui credendi propter talem revelationem, ut sit fidei Theologicæ: ergo talis est. Prob. antec. Non deficit motivum ; quia motivum fidei est authoritas ut revelans : non ut talia revelans ; quia hoc secundum nec addit certitudinem , nec infallibilitatem : non deficit propositio sufficiens; quia et si non proponatur ab Ecclesia, potest esse aliunde moraliter certa revelatio : & quod sic , vel aliter proponatur , per accidens se habet ad influ- xum habitus: siquidem idem habitus charitatis elicit actus amoris Dei , in via, & in patria, et si diversimodè proponatur: ergo nihil deficit. Et per eundem habitum obedientiae obedit quis Deo , dum observat leges universales, ac dum observat leges particulares, quamvis propositio est diversa , & per eundem habitum gratitudinis agimus Deo gratias pro beneficijs universali bus , ac pro beneficijs particularibus: pro beneficijs publice, ac privatim propositis. Et non alia ratione , nisi quia propositio non immutat motivum: ergo

cum motivum fidei sit Deus ut reuelans, & diversa propositio non immutet hoc motivum, nec multiplicabit habitus. Et ratio est:

45 Quia actus, quo assentimur alicui veritati, quia dictæ à Deo, est fidei Theologicæ, nisi aliunde constet oppositum. Sed hoc aetn assentimur obiecto quia dicto à Deo, & aliunde non constat esse necessario requisitam propositionem publicam ut sit fidei Theologicæ: ergo &c. Mai, prob. Quia ad aliquam virtutē pertinet talis actus; cum autem habeat motivum fidei, pertinebit ad fidem. Habitus tamen nec sumit nomen *Fidei Catholicae* ipsi accidentalem, ex respectu ad revelationes privatas, seu privatim propositas: nec influit in assensu, ut est *habitus Fidei Catholicae*: quia ut talis respicit, & connotat revelationes publicè propositas; influit tamen ut est *habitus fidei Theologicae*: quia ut talis solum petit influere prima veritate, seu ex motivo *Dei ut revelans*.

46 Nec dicas cum Salm. tali revelationi assentiri per cognitionem propheticam: quia eiusmodi revelationes sunt prophetiae, & ad gratiam prophetiarum

phetix spectantes ; ideo cognosci debent per gratiam prophetiae ; non per fidem. 1. Falsum est , quod semper revelationes privatae sint prophetiae , & assensus propheticus ; quia prophetia necessario habetur : & his revelationibus saepè libere assentimur. 2. Licet durante tempore revelationis prophetiae possit assentiri gratia prophetiae : tempore sequenti , durante certitudine locutionis , ut regulariter durat , teste D.Tho.cap. 25. tempore vita cum iam traxierit gratia prophetiae : cum assentiri possit , erit per fidem : aut gratiam fidei , vt dicit D. Thom. hic quæst. 4. artic. 5. ad 4. quæ est donum speciali fidei.

47 Vnde habitus fidei , quamvis possit elicere actus tendentes circa revelationes privatas : quia tamen primitio datur ad assensus circa revelationes practicas , & universales , quarum obiecta dicuntur fides obiectiva Catholicæ , seu universalis : ideo inde accipit nomen habitus fidei Catholicæ. Et in hoc sensu intelligendus est Aug.in Enchir. cap. 9. vbi inquirens , *Quid credendum sit?* Respondet , *quod ad Religionem pertinet* : Hoc est , id est , prima-

xio credendum ; & Div. Thom. hic quæst. 5. artic. 3. dicens , obiectum formalis fidei est veritas prima , secundum quod manifestatur in Scripturis , & doctrina Ecclesie . Et 1. part. quæst. 1. artic. 8. Inititur fides nostra revelatio- ni , Apostolis , & Prophetis factæ qui lib- bros Canonicos scripserunt ; non autem re- velationi , si qua fuit , alijs Doctoribus fa- cta . Et supra in tertium ubi dicit , Fi- dem formaliter respicere aeternum , & materialiter temporale ; Prophætia e con- tra . Alia tamen credi possunt , quæ no n per- tinent ad Religionem , neque ad vi- tam æternam ; quia credi debet salus Ezechiæ , Risus Saræ , Incredulitas Za- chariæ , Colirium Thobiæ , quæ neque per- tinent ad Religionem , neque ad vi- tam æternam . Ideo hi Autores so- lum intendunt , fidem primario respi- cere , & ordinari ad salutem æternam , & quasi secundario respicere alia . Quod inde patet , quia etiam Prophetiæ multæ datæ sunt de Christo , de salute æterna , & de his , quæ ad eam per- tinent . Item solum intendunt , fidem com- munem , id est , univeralem , & Cat holicam , utram , requiriere pra- dicam propositionem ; non vero affec- tuat

rum, hoc esse necessarium titulo fidei
divinæ Theologicæ. Ex his patet ad ea,
quæ opponit Gonet.

48 Obijc. 1. Ad Theologalitatem
nostræ fidei non sufficit quod obie-
ctum formale sit Deus ut revelans; sed
etiam requiritur, quod obiectum ma-
teriale sit subordinatum Deo tanquam
objeto formalis *quod*, seu primario, &
attributionis. Sed solum ea, quæ con-
tinentur in Scripturis, & traditioni-
bus, dicunt hanc subordinationem; er-
go, quæ privatim revelantur, non pos-
sunt credi fide Theologica. Pro solu-
tione scire velim, quem ordinem dicat
ad Deum canis Tobiae, & alias mate-
riæ pluries revelatae in Scripturis,
quem non dicat obiectum revelationis
privatae, quod frequenter est de mate-
ria bona? Si velint, quod per actus,
quibus credimus obiecta revelata, at-
tingamus *intrinsecè* Deum, tanquam obie-
ctum *quod*, est falsum: nec requiritur
talis modus attingendi ad rationem
obiecti attributionis: Si hic ordo sit
conducentia, quam habent obiecta re-
velata, ut ex illorum cognitione cog-
noscat Deus, qui vocari potest ordo
intrinsecus in Deum; & aptitudinalis,
seu

Seu in actu primo , qualem , & non alium dicit *definitio* , *divisio* , &c. ad demonstrationem , vel syllogismum , quæ dici solent obiectum attributionis Logicæ ; hanc etiam conducentiam , & ordinem habent obiecta revelationis privatæ.

49 Si hic ordo consistat in inclinatione habitus fiduci primario tendentis ad actus circa Deum , hæc inclinatio non deficit habitui , dum influit in assensum revelationis privatæ. Si hic ordo consistat in eo , quod in hac providentia Deus ordinariit fidem creaturarum , in quibus perfectiones Dei resplendent , ad cognitionem Dei perfectiorem , ut inquit Exim. Suarez disp. 2. sect. 2. num. 7. hic ordo non deficit obiecto revelationis privatæ: Qualis ergo ordo necessario reperitur in obiectis propositis per revelationes practicas , qui non possit reperiri in obiecto revelationis privatæ ? Præsertim cum eadem materia , aut saltem eiusdem rationis , possit privatim , & practice revelari. Itaque ad argumentum conc. mai. neg. min. Quia etiam obiecta revelationis privatæ dicunt ordinem ad Deum tanquam ad obiectum formale
quod,

quod, seu tanquam ad obiectum primarium, & attributionis, modo exacto ab obiecto attributionis, & iam explicato.

50 Obijc. 2. Ex Gonet. Quia virtutes charitatis, & spei sunt Theologicae, quidquid per illas imperatur, aut amatur, debet esse in ordine ad Deum: ergo quidquid per fidem Theologicam creditur, debet esse in ordine ad Deum.
Resp. conc. ant. & conseq. quæ non contra nos: quia quidquid imperatur per spem, & amatur per charitatem, debet, esse in ordine ad Deum tanquam obiectum formale *quo*, seu motivum: quia debet ex illo moveri: debet etiam esse in Deum tanquam obiectum formale *quod*, & attributionis: cum ergo ita ordinetur obiectum revelationis privatæ, ex dictis, quid contra nos?

51 Obijc. 3. Qui discredenter revelationi privatæ, adhuc *evidenter moraliter* propositæ, non esset hæreticus, nec amitteret habitum fidei; sicut esset, & amitteret, qui discredenter revelationi publicæ: ergo habitus fidei non extenditur ad revelationes privatas. *Ad hæc.* Antonius Perez disp. 3. sect. 3. dicit talia fore hæreticum, &

puniendum pœnis Ecclesiasticis. Haug.
dicit fore hæreticum ; sed non punien-
dum pœnis Ecclesiæ. Ideo respondeo
in te fore hæreticum ; sed non in ordi-
ne ad pœnas : quia in ordine ad pœnas,
Hæretis , ut potè formaliter involvens
pertinaciam , & inobedientiam Eccle-
siæ , videtur esse dissensus revelationis
propositæ ab Ecclesia: Deinde admissio ,
quod non esset hæreticus , falsum est ,
quod non amitteret habitum fidei dis-
credendo ~~peccaminose~~ illi revelationi
privatae : quia habitus fidei non solum
amittitur per hæretum ; sed etiam per
infidelitatem , qualis esset ille dissen-
sus ; ut constat ex Trident. sess. 6.
cap. 15. Revelatio enim privata , imò
& publica , non semper obligat ad cre-
dendum ; semper tamen obligat ad non
discredendum : sicut præceptum aman-
di Deum , non semper obligat ad
amandum ; semper tamen obligat ad
non odio habendum : ideo veraciter
loquenti debetur fides *negativè* , &
semper : id est , debetur , ne discredatur ;
non tamen semper , & statim debetur
fides *positivè* : licet enim sæpè suspen-
dere assensum : sicut bonitati Dei etsi
infinity non semper debetur amor ;
sed

sed potest suspendi. Omnis autem, cui præcipiatur assensus revelationis privatæ sufficienter propositæ, tenetur credere: & omnis, cui sufficienter constet talis revelatio tenetur non discredere; etsi neque ipsi, neque coram ipso fiat revelatio: quidquid dicat Lugo: quia irreverentiam, & iniuriam faciet Deo sic discredens. Ita Suarez.

52 Obijc. 4. Revelatio illa privata, ut potè accepta immediatè à Deo, debet esse evidens metaphysicè accipienti. Sed cum evidentia non potest stare fides: ergo &c. In primis cum accipiens revelationem sæpè subdubit, an sit à bono, vel malo spiritu; unde colligitur, quod semper debeat esse evidens: deinde cur Deus non poterit magis, vel minus credibilem proponere ei revelationem? Sed admis. mai. nego min. & conf. quia ut dicemus, fides fratre potest cum evidentia revelationis.

53 Obijc. 5. Si possemus credere fide Theologica revelationi privatæ, si Deus aliquid revelaret infideli, ut potest, posset credere fide Theologica. Sed hoc est falsum: quia non habet habitum fidei: ergo. 6. Si possumus ita credere aperitur via schismaticis, & divisioni

Ecclesiæ : quia quisque sibi fingere poterat revelationes, & dicere suam fidem esse veram. Palanco dicit, quod si Deus prius instruat infidelem, revelando se ipsum, & prima articula nostræ fidei poterit credere ; secus aliter : quia solum potest esse motivum fidei Theologæ veritas in ordine ad Deum primo revelatum. Verum existimo sufficere, quod assentiatur existentiæ Dei quocumque assensu firmo, & eius perfectionibus, ut possit credere fide Theologica dicta ab ipsa. Ideò dist. mai. posset credere fide Theologica actuali, conc. mai. habituali, neg. mai. & neg. min. Ille assensus fieret per auxilia actualia ; & non est necesse quod fiat gratia prophetiæ : & dum liberè habetur assensus, & transacto tempore prophetiæ, non potest fieri assensus gratia prophetiæ ex suprà dictis. Ad prob. neg. cons. quia non cuivis spiritui est credendum, ut mox dicemus ; sed sunt examinandæ revelationes privatæ.

s 4 Rogabis, an ad talém fidem requiriatur evidētia credibilitatis ? In primis ad fidem salutarem, & utilem ad salutem, qualis sine dubio est omnis fides practica, requiri evidentiam crea-

dibilitatis constat ex decreto Innocen-
tij oppositum damnantis. Requiritur
etiam evidētia ad fidem privatam, con-
tra Lugō disp. 9. sect. 5. Et ratio est:
quia eiusdem rationis sunt fides pra-
ctica, & fides privata: ergo si ad pra-
cticas requiritur evidētia credibili-
tatis, etiam ad privatam. Vnde ratio cur
requiratur evidētia credibilitatis ad
fidem practicam, non est quia tenemus
credere illas veritates: quia sāpē non
tenemus credere; sed solum non disre-
dere: & in aliquibus etiam datur obli-
gatio credendi revelationibus privatis:
ratio ergo cur requiratur est, quia de
ratione actus fidei est excludere om-
nem formidinem ut imprudentem, ad
quod requiritur dari evidētiam cre-
dibilitatis. In credendis tamen, sicut
discernendis revelationibus privatis
cautē progrediendum est. Videatur D.
Thom. in 2. ad Corinlh. 11. *Sathanas*
transfiguratus in Angelum lucis. Medi-
a 1. 2. quæst. 22. & P. Puente *Guia*
Espiritual, & in Meditationibus Re-
surrectionis, & in precario ad
vitam D. Maríæ de Es-
cobar, & alij.

DIS.

(JESUS)

DISPUT. VIIJ.

Quæ continentia unius in alio sufficiat, ut revelato uno prædicato dicatur revelatum aliud.

SUB HOC TITULO CONTINENTUR variæ, & difficilis quæstiones, quæ claritatis gratia in duas disputationes dividemus.

SECTIO I.

An, & quomodo, revelato universaliter sit revelatum, & de fide singulare sub illo contentum?



Up. i. Quadrupliciter posse unum prædicatum, contineri in alio, primo formaliter ea ratione, quæ definitio continetur in definito: quia iuxta communem sententiam contra Ojeas,

Ojea, Sendin controv. 6. num. 532 & alios definitum est formaliter definitio. Quod autem s^ep^e contingat scita definitio dubitari de definitione, probat talem definitionem, & definitum non esse idem formaliter respectu dubitan-
tis, quia ut suo loco diximus identi-
tas rationis est respectiva: Ideoque
vbinos distinguimus per rationem, s^e-
p^e non distinguunt Angeli: & Deus
nunquam distinguit per rationem:
quod provenire non potest, nisi quia
eadem res ex proprio conceptu vni
ostendat plura prædicata, alij p^{ri}ncio-
ra: sic homo apud mediocriter doctos
ostendit esse *animal rationale*, & hoc nō
ostendit rusticus, qui offenderetur, si vo-
caretur *animal rationale*. Hac ratione
communis sententia tenet contra Ar-
riaga tom. 5. disp. 6. de Fide, sect. 1. &
tom. 1. d. 1. sect. 7. quod revelato de-
finito est revelata definitio. 2. Potest
vnum contineri in alio realiter virtua-
liter, sic in prædicato risibile continetur
rationale. 3. Continetur vnum in alio
realiter tantum, sic in essentia divina
continetur Paternitas. 4. Continetur
vnum in alio connexive: sic in actione
continetur terminus, in viaione extrema.

2 Sup. 2. Aliud esse obiectum esse de fide secundum se , seu ut alij loquuntur , remotè de fide , aliud proximè substantialiter de fide : quod sufficit iuxta Coninc dub. 6. ut verè , & absolute dicatur de fide : Aliud est , esse de fide quoad nos , vel ut alij volunt , proximè de fide ; & ut alij proximè accidentaliter de fide : quia vis motiva revelationis constituitur in esse proximè potentis movere per aliud : sicut ignis in esse proximè potentis producere per applicationem : & hoc requiritur iuxta Oviedo controv. 4. punct. 9. ut aliquid dicatur absolute de fide. Ad hoc , ut aliquid sit de fide secundum se , sufficit esse revelatum , quamvis nobis non constet esse revelatum , quamvis nobis non constet de revelatione ; ut aliquod sit de fide quoad nos ulterius requiritur , quod nobis constet de revelatione , quæ notitia , sicut & notitia continentiae unius in alio non se habet tanquam motivum ; sed solum tanquam conditio applicans , sicut se habent argumenta credibilitatis.

3 His suppositis : Dico 1. cum communī sententia quam sequitur Sendifin à num. 65. disp. 1. quæst. 7. Par-

Ianco , Muniesa disp. 3. sect. 9. Revelata veritate vniuersali revelantur omnia singularia sub illa contenta : itaque per hanc revelationem , *Omnis descendens ab Adamo praeier Virginem contraeit peccatum originale : revelatur , Petrum , Paulum , &c. contraxisse peccatum originale.* Revelata hac veritate: *Omnis decedens in gratia salvabitur: revelatur Petrum , Paulum , &c. decedentes in gratia salvandos.* Prob. conclusio I. Revelato aliquo toto revelantur partes essentialiter constitutivæ totius : ideo revelato , *Christum esse hominem* , revelatur esse animal , esse rationale , habere corpus , & animam. Sed singularia sunt partes essentialiter constitutivæ veritatis vniuersalis: ergo revelata veritate vniuersali revelantur singularia sub illa contenta.

4 Confirm. hæc veritas Tridentinum habet infallibilem autoritatem: Petrus indiget gratia Dei ad salutariter operandū : *Christus est mortuus pro Ioanne* , communiter reputantur de fide: & non alia ratione , nisi quia sunt singularia contenta sub revelatione vniuersali : quia de ipsis non datur revelatio specialis : ergo revelata veritate

vniversali sevelantur singularia sub illa contenta modo sufficiente ad fidem.
 2. Propositio hæretica est opposita immediate revelatæ. Sed hæc propositio *Petrus non est mortalis*, & sic de alijs, est opposita immediate revelatæ: quia immediate falsificat revelationem, *Omnis homo est mortalis*, siquidem vnliversalis immediate falsificatur per singularem falsam: ergo Petrum esse mortalem est immediate revelatum. Diximus immediate falsificare, quia quæ solum mediately, & per consequentiam falsificat, non est hæretica. Item qui negaret Petrum esse mortalem esset hæreticus; sed solum est talis, negans veritatem immediate revelatam: ergo est immediate revelatum Petrum esse mortalem.

5. Prob. 2. Quæties constat cum morali certitudine Deum testari, *Petrum indigere gratia Dei ad operandum salutariter*, est de fide Petrum indigere gratia Dei ad sic operandum. Sed quæties constat cum morali certitudine, Petrum contineri sub hac revelatione vnliversalis *Omnis homo indiget gratia Dei ad operandum salutariter*, constat cum morali certitudine, Deum, testari Petrum indigere gratia Dei, &c. Ergo mai,

mai. est certa: quia non alia ratione est de fide mysterium Incarnationis, &c. Prob. min. Propositio vniuersalis immediate, & formaliter significat, & affirmat, licet confuse, praedicatum indigendi gratia Dei convenire cuilibet singulari: præsertim si proferens cognoscat omnia singularia contenta sub vniuersali: quia propositio vniuersalis, ut potè distributiva, idem formaliter affirmat ac hic descensas, *hic homo indigeret gratia Dei, & hic homo indigeret gratia Dei*: Imò cum Deus sic proferens, non cognoscat confuse, in re clare, & distinctè profert; licet quoad nos proponatur confuse: ergo quoties constat cum morali certitudine, Petrum contineri sub illa revelatione vniuersali, constat, Deum testari *Petrum indigere gratia Dei ad operandum salutariter.*

6 Confirm. Non omnis maior claritas debet esse maior extensivè; sed sufficit, quod sit maior intensivè: ergo quod hæc propositio *Petrus indigeret gratia Dei*, sit clarior respectu Petri, quam hæc. *Omnis homo indigeret gratia Dei*, non probat per illam primam affirmari formaliter immediatè aliquid,

quod non affirmeatur formaliter, & im-
mediate per secundam. 2. Hic concep-
tus *Omnis homo* indiget gratia Dei, solum
distinguitur tanquam includens ab in-
clulo, ab hoc conceptu *Petrus* indiget
gratia Dei: ergo revelata veritate uni-
versali formaliter revelantur singularia
sub illa contenta. Itaque hic concepius
homo distinguitur ratione ab hoc *Pete-
rus*, quia prius non significat for-
maliter adhuc confuse differentias; se-
cūs accidit in his *Omnis homo*: *Petrus*:
quia *Omnis homo* significat formaliter
differentias. His probationibus præ-
venta est sententia Arriaga disp. i Pro-
legomenon. sect. 7. sub sect. 3. dicen-
tis. Revelata hac veritate *Omnis homo*
est mortalis esse revelatam hanc *hic ho-
mo est mortalis*; non vero hanc *Petrus
est mortalis*: quia Petrus potest esse ho-
mo apparenter sicut Raphael, socius
Thobiae.

SECTIO II.

Solvuntur argumenta.

7 **O** Bije. i. Sibi Munies. Si
sufficeret revelatio uni-
versalis, quælibet veritas naturaliter
evid-

videns, v. gr. *Totum est maius sua parte posset credi fide divina*; imò esset credibilis quælibet veritas physicè, aut moraliter evidens. Sed hoc est absurdum: ergo. Prob. mai. Munies. hoc syllogismo, *Omne quod Deus potest revelare, verum est. Sed Deus potest revelare, totum esse maius sua parte: ergo hoc est verum, & potest credi fide divina.* Mai. est de fide, quia Deus non potest revelare nisi verum.

8. Resp. Dist. mai. Quælibet veritas posset credi fide divina sub *hac vel illa ratione*, conc. mai. sub *omni ratione*, neg. mai. & neg. min. Quia quælibet veritas continetur sub his, & similibus revelationibus universalibus. Eccles. 1. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas* Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil:* idèquè omnia, quæ continentur cum morali certitudine sub his, & similibus revelationibus, possunt credi fide divina ea ratione, qua constet ita contineri: *hac ratione esset hæreticus, qui negaret hanc mensam, hanc aulam factam esse à Deo.* Prob. mai. adducta à Munies. est fallax: quia eadem forma probatur oppositum *scilicet Omne quod*

Deus potest revelare, est verum; sed non de fide. Sed Deus potest revelare totum esse maius sua parte: ergo hoc est verum; sed non omne verum est revelatum, nec de fide. Ideò ad eam dist. mai. Omne quod Deus potest revelare est verum *arguтивे*, conc. mai. est verum *arrestative*, subdist. sub hac, vel illa ratione, conc. mai. determinatè sub hac ratione, nego mai. & conc. min. dist. eodem modo consequens. Itaque illa maior non est revelata, quod sciam, sub dicta expressione: quamvis enim esset dignus censura qui eam negaret: quia per consequentias veniremus ad *immediatè* oppositum veritati revelatæ, quod esset heresis; ea tamen ut talis non est *immediatè* revelata: ideo longius distaret à censura, qui negaret totum esse maius sua parte, attento præcisè dicto hoc argumento.

9 Obijc. 2. Non creditur fide diversa, quod solum cognoscitur per discursum. Sed solum cognoscitur per discursum Ciceronem *contraxisse peccatum originale*: ergo. Prob. min. Quia solum cognoscitur ex revelatione univerali, & ex minori naturali: *Cicero descendit ab Adamo*. Confirm. Pr. positio deduc-

¶ ex una præmissa de fide, & alia naturaliter nota, non est *immediatae* de fide, neque elicitur à fide; sed est conclusio Theologica. Sed ejusmodi est dicta propositio singularis propter rationem ducam: ergo, *Resp. conc. mai. neg. min.* Quia licet ea veritas possit cognosci per discursum; potest etiam cognosci sine discursu ex vi revelationis universalis, aut ex hac, & purificatione conditionis, ut dicemus, se habente ut applicatione moralis certitudo descensus Ciceronis ab Adam. *Ad confirm.* Dist. mai. Propositio formalis deducitur ex una de fide, & alia naturaliter nota non est de fide; sed conclusio Theologica, eonc. mai. si deducatur sic per discursum, propositio obiectiva, neg. mai. & min. Itaque obiectum dictæ propositionis est *immediatè* revelatum, & de fide; propositio vero formalis, si per discursum deducatur, non est elicta à fide, non est de fide; sed solum est conclusio Theologica.

10. Obijc 3. Ut Deus revelet formaliter singulare in universalis, debet revelare, quod formaliter continetur in universalis. Sed hoc non revelat: ergo, P: ob min. Quia dum revelat Om-

nem descendenter ab Adam contrahere originale, non revelat, Ciceronem esse descendenter ab Adam. De hac obiectione dicemus infra, & latius sequenti. Resp. dist. mai. Debet revelare exercite, & confuse singulare contineri in universalis, conc. mai. debet revelare signate, & expresse, neg. mai. & min. Quis dum constet cum morali certitudine Ciceronem descendere ab Adam, constat Deum dixisse *Hic homo Cicero contraxit originale*. De hoc latè infra, ubi an quod involvitur in alio debeat esse ex quæ certum, quam involvens, & quando, seu quomodo?

ii Obijc 4. Hæc revelatio universalis *Omni's hostia ritè consecrata continet Corpus Christi*, facit sensum conditionatum: quia ad sui veritatem non requirit dari de facto hostiam continentem Corpus Christi. Sed per revelationem conditionatam universalē nequit esse de fide veritas absoluta *hæc hostia continet Corpus Christi*: ergo per revelationem universalē, quidquid sit an formiliter revelentur singulares quoad veritatem conditionatam; non revelantur modo sufficiētē ad fidem quoad veritatem absolutam, seu quoad assen-

assenfum absolutum. Hæc obiectio continet difficultatem inquirétem, an propositiones universales de subiecto complexo, qualis est supradicta, sint absolutæ, vel conditionatæ? Castel in manuscriptis, & communiter RR. Thomistæ dicunt, tales revelationes esse absolutas.

12 Placet loqui cum distinctione.

Dico 1. Propositiones universales de subiecto complexo, quarum subiectum, & prædicatum non dicunt inter se connexionem neque convenientiam, v. gr. hæc, *Omnis homo musicus currit*, & similares, non sunt conditionatæ generaliter loquendo: quia in communi modo loquendi non facit hunc sensum *Omnis homo, si sit musicus, currit*; sed hunc *Omnis homo, qui de facto est musicus, currit*: ideoque tales propositiones sunt absolutæ, & absolute affirmant dari hominem musicum, & de facto currere. Idem accidit in hac, & similibus propositionibus, *Omnis homo albus currit*.

13 Dico 2. Propositiones universales de subiecto complexo, quarum subiectū dicat connexionem cum prædicato, v. gr. hæc *Omnis homo albus disgragat visum*, generaliter loquendo sunt

sunt conditionatæ: quia generalitè solummodo faciunt hunc sensum iuxta communem existimationem: *Si fueris albus, erit disaggregatus visus*: quin ad suam veritatem requiratur, quod aliquis homo sit *absolutè* albus. Et ratio est: quia hæc propositio communiter reputatur vera, & necessario vera. Sed non ita iudicaretur vera, si esset absoluta: quia si esset absoluta, requireretur existere homines, qui de facto essent albi, quod non est necessarium: ergo generalitè non est absoluta. Idem dico de hac *Omnis homo currens moveatur*. Et de similibus. Dicere autem similes propositiones affirmare absolutè esse quidditativum, cum non detur absolutè tale esse, ut constat ex Philosophia, erit dicere tales propositiones esse falsas. Vnde dictæ propositiones sunt omnino universales, & cum omnibus hominibus loquuntur conditionatè; & non præcisè restrictæ ad homines de facto currentes. Et quamvis de facto soleant esse vere in sensu absoluto: quia de facto sunt aliqui, qui currant; communiter tamen non ita usurpantur.

14 Dico 3 Propositiones universales de subiecto complexo, quarum subiec-

Subiectum ex se non habet connexionem; sed solum conducentiam cum praedicato, generaliter loquendo sunt conditionatae, v. gr. haec *Omnis decedens in gratia salvabitur*: *Omnis rite baptizatus habet gratiam*: *Omnis hostia rite consecrata continet Corpus Christi*. Et ratio est: quia per dictas propositiones non affirmatur *absolutè* salvatio, &c. quod constat: nam ex vi talis propositionis verum est, quod si Iudas decederet in gratia salvaretur: ergo &c. *Explicit*. Similes propositiones communiter reputantur omnino universalis, & versantes circa omnes homines; alias non licet dicere ex vi talis propositionis, *Quod si Iudas de cederet in gratia, salvaretur*. Sed non essent universalis, si affirmarent salutem *absolutè* de omnibus hominibus: quia essent falsæ: ergo affirmant *conditionatè*. Deinde quia saltem decretum de salute regulatum est per scientiam medium, quin pro eo signo, nec committantè, detur scientia visionis de salute: si ergo decretum cum omnibus hominibus loquitur, credibile est eodem modo loqui revelationem.

15 Non dubito decretum facientibus revelationes universales *Omnis hostia*

hostia consecrata continet Corpus Christi.
Omnis rite electus est verus Pontifex,
potuisse regulari per visionem absolu-
tam illorum, qui absolute futuri erant
rite electi, & Pontifices. Sed nec dubi-
to potuisse etiam regulari sine scientia
visionis: cum ergo si non regulentur
scientia visionis, sint magis universales:
& cum iuxta communem existimatio-
nem ex vi talis revelationis licet dicere
de aliquibus, qui nec fuerunt, neque
erunt Pontifices. Si hic esset rite electus,
fuerit verus Pontifex. Ideo dicendum
iudico praedictas propositiones esse co-
ditionatas, & universales. Adverte etiam
hanc propositionem. Aliquis homo dece-
dens in gratia non salvabitur esse hereti-
ciam: quia negat aliquid immediate, &
formaliter affirmatum per propositi-
onem Catholicam, scilicet, salutem pro
casu decessus in gratia; non tamen sunt
contradicторia haec dux Omnis decedens
in gratia salvabitur: Aliquis decedens
in gratia non salvatus est. Imo neque
haec, non salvabitur: quia si sunt abso-
lute non sunt contradicторiae, cum pos-
sint ambae esse falsae; sicut haec Petrus sa-
piens currit: Petrus sapiens non currit,
eo quod non sit Petrus, qui sit sapiens.

Si

Si sunt conditionatæ, non negatur præcipua copula *si*: nec necessarium est, ut sit hæretica, quod opponatur *contradictoriæ* cum propositione Catholicæ: quia hæc *Nullus decedens in gratia salvabitur*, est hæretica, & est contraria: sufficit ergo, ut sit hæretica, quod *immediatè*, & *formaliter* neget aliquid *imediatè*, & *formaliter* affirmatum per propositionem Catholicam: contradictorium ergo dabitur vel sic, *non omnis*, vel sic, *aliquis homo non si sit decedens in gratia, salvabitur*, vel sic, *aliquis homo, etiam si decedat in gratia, non salvabitur*.

16 Hinc iam ad obiectionem respondeo verum esse, hanc, & similes revelationes *Omnis hostia consecrata continet Corpus Christi* esse conditionatas; iudico tamen purificata cōditione posse credi fide absoluta: quia purificatio conditionis pertinet ad lineam signi locutivi: & ex revelatione conditionata, & purificatione conditionis resultat revelatio absoluta: ad modum quo iuxta communem sententiam ex contractu conditionato, & purificatione conditionis resultat contractus absolutus. Et ratio est: quia qui testificatur aliquid

conditionatè, offert purificationem conditionis tanquam signum rei testificate, & media illa interponit suam autoritatem, ut fides ei præstetur: ergo purificatione conditionis est constitutivum iurecto, vel in obliquo locutionis: quia locutio nihil aliud est, quam interpositio authoritatis ad conciliandam fidem de re testificata. *Confirm.* Veritas conditionalis per purificationem conditionis transit in absolutam: ergo similiter dici poterit, testimonium conditionatum transire in absolutum. Itaque tunc simul datur revelatio conditionata, quæ identificatur cum sola revelatione universalī, & revelatio absoluta, quæ identificatur cum revelatione conditionata, & purificatione conditionis: sicut accidit in contractu conditionato.

17 Ex hoc tamen minimè licet inferre: scientiam conditionatam transire in absolutam per purificationem conditionis (in sententia dicente actus contingentes esse intrinsecos Deo) quia purificatione conditionis non pertinet ad lineam scientiæ; cum tamen, et si certa sint expressiora signa, aliæ convictiones pertinere possint ad signa locutiva, ut patet in contractibus: hinc est,

contractibus : hinc est , quod ex revelatione conditionata , & purificatione conditionis resultare potest loquutio absoluta .

18 Adverte , divinam revelationem assertoriam , quæ per se , & in primo fieri est absoluta , debere præsupponere iudicium absolutum : quia Deus non asserit , nisi quod scit ; at verò si revelatio assertoria non sit per se , & in primo fieri absoluta ; sed per accidens , & per purificationem conditionis , tunc revelatio absoluta non præsupponit iudicium absolutum : quia iudicium absolutum est consequens purificationem conditionis , quæ constituit revelationem absolutam . Itaque fides obiectivè absoluta in tali casu dirigitur à iudicio virtualiter absoluto , scilicet , à iudicio afferente *Si erat conditio , &c.* sed à iudicio de purificatione conditionis : quia hoc coniunctum connexum est absolute cum obiecto revelato ; ideoque æquivaleret iudicio absoluto in ordine ad fidem . Vnde cum veracitas solum detegat iudicium antecedens , & regulativum , non verò consequens ; solum detegit iudicium conditionatum : cum tamen hoc iudicium , & purifica-

tio conditionis sit æquivalenter iudicium absolutum, ut potè connexum cum obiecto revelato, non minus quam iudicium absolutum, datur quod sufficit ad fidem. Hæc attente legenda sunt.

19. Obijc. 5. In hac revelatione *Omnis hostia rite consecrata continet Corpus Christi*, nulla alia expectatur conditio, vt sit in ea *Corpus Christi*: ergo non est conditionata. Hæc obiectio continet difficultatem de diversitate conditionum, circa quam dico: Alias esse propositiones conditionatas, quarum conditio non se tenet ex parte subiecti adhuc in obliquo, v. gr. hæc: *Si alter mundus existat, Deus eum vidabit*, & aliæ similes. Aliæ sunt, quarum conditio se habet ex parte subiecti in recto, v. gr. hæc *Si Petrus existat: erit animal rationale*: Aliæ in obliquo, v. gr. *si Petrus currat, movebitur*: quia de Petro currente affirmatur motus; ad rationem enim conditionis non requiritur, quod sit extra subiectum; sed solum quod conducat ad conditionatum. Hæc duæ tamen conditiones ultimæ solum sunt conditiones logicæ, non conditiones physicæ, qualis est applicatio ignis ad combustionem di-

stincta ab ipsa combustionē. Dico igitur : Quando conditio se tenet ex parte subiecti , frequentē accidit, vt nulla alia expectetur conditio præter positionem conditionis importatæ in subiecto , vt propositio sit vera , vt patet in exemplis immediatè revelatis eiusmodi : ergo existimo esse hanc propositionem *Omnis hostia rite consecrata continet Corpus Christi* , quæ est conditionata , etiam si ad suam veritatem absolutam nullam aliam expectet conditionem præter importatam in subiecto ; & multo minus expectat aliam conditionem ad suam veritatem conditionatam.

20 Hinc patet 1. Assensum , seu notitiam de purificatione conditionis pertinere ad fidem , seu esse actum elicatum ab habitu fidei , sicut est actus fidei assensus circa existentiam revelationis ; non tamen pertinet ad fidem , quatenus assensus sit motivum fidei: neque notitia prævia ad assensum , pertinet ad fidem ; sicut non pertinet ad fidem notitia de credibilitate revelationis. Patet 2. Quomodo possit componi existentiam purificationis conditionis esse solum moraliter certam pro-

priori; & assensum de tali existentia esse metaphysicè certum: sicut assensus de existentia revelationis solum est moraliter certus priori; hoc est, argumenta credibilitatis iuxta communem sententiam solum habent certitudinem moralem de existentia revelationis; & tamen assensus de existentia revelationis in se est metaphysicè certus: quia revelatio, ut potè metaphysicè conexa secum ipsa, movere potest assensum metaphysicè certum. Itaque actus scientiæ non potest excedere in certitudine actum prævium ad ipsam: quia actus prævius ad scientiam non est indifferens ad habendam metaphysicam certitudinem, sed determinatus est ad esse metaphysicè certum; at vero actus prævius ad fidem de morali certitudine, seu credibilitate, non petit ex genere suo, obiectum esse metaphysicè certum: ut patet in certitudine morali de existentia Romæ, permittente physicè, aut metaphysicè deficere Romanum; claritatem autem semper commensurat actus fidei cum claritate actus prævij. Hæc ex se sunt confusa:

21 Obijc. 6. Fallaciter: Nemo potest habere actum fidei, nisi ex vite

velationis, quam cognoscat metaphysicè certo connexam cum obiecto. Sed nemo potest esse metaphysice certus de eo, quod revelatio conditionata est *absolutè* connexa cum obiecto, adhuc purificata conditione: ergo nemo potest habere actum fidei ex vi revelationis conditionatae, adhuc purificata conditione. Prob. min. Revelatio conditionata est *absolutè* connexa per purificationem conditionis. Sed nemo potest esse metaphysicè certus de purificatione conditionis; sed solum moraliter: ergo nemo potest esse metaphysicè certus, de eo quod iam venit calus, in quo revelatio conditionata est *absolutè* connexa cum obiecto. Resp. conc. mai. neg. min. Ad prob. conc. mai. dist. min. Nemo potest esse metaphysicè certus de purificatione conditionis, pro priori ad assensum de existentia purifications, conc. min. per ipsum assensum, neg. min. & cons. Ad modum quo pro priori ad assensum de revelatione Incarnationis non datur certitudo metaphysica de existentia revelationis; seclusus pro posteriori.

22 Aliter proponi potest argumentum. Nemo potest habere actum

fidei , nisi ex vi revelationis , quam cognoscat certo *metaphysicè* connexam cum obiecto. Sed nemo cognoscit certo , revelationem conditionatam , purificata conditione , esse revelationem *absolutam* metaphysicè connexam cum obiecto : quia hoc solum est probabile: ergo nemo potest habere actum fidei absolutæ ex vi revelationis conditionatæ , & purificationis conditionis. Ut pateat argumenti fallacia. *Instatur* in sententia dicente , hanc , & similes revelationes vniuersales *Omnis rite electus est verus Ponifex* , esse absolutas. Qui credit ex vi huius revelationis , hunc esse verum Pontificem, debet certo cognoscere , revelationem esse *absolute* connexam cum verò Pontificatu Clemētis. Sed nemo potest certo cognoscere , hanc revelationem vniuersalem esse per se *absolute* connexam cum verò Pontificatu Clementis , quia hoc solum est probabile : cum probabile sit , hanc revelationem vniuersalem ex se solum esse conditionatam : ergo &c. *Aliter:* Qui credit propter motivum fidei , debet esse certus de existentia motivi. Sed nemo est certus de existentia motivi constituti per revelationem externam,

neque per internam : quia solum est probabile revelationem externam esse constitutivam motivi : & idem de interna : ergo &c. *Aliter*: Qui credit, debet cognoscere certo divinam authoritatem. Sed nemo est certus de divina authoritate constituta , seu constitui per solam Deitatem , per solam veracitatem , aut per solam sapientiam , &c. ergo &c.

23 Itaque cum omnes Theologi sentiant, authoritatem debere infallibilizare testimonium , disputant de perfectionibus constituentibus authoritatem. Item alij dicunt revelationem externam esse motivum necessarium fidei ; alij , solam internam ; alij neutram. Alij dicunt , revelationem vniuersalem esse absolutam ; alij esse conditionatam : & ex his, alijs dicunt revelationem conditionatam constitui in esse absolutam per purificationem conditionis ; alij ipsam revelationem conditionatam , dicendo de connotato purificationem conditionis , esse absolute connexam cum obiecto , que omnes sententiae sunt solum probabiles. Et ut in alijs rebus cernatur haec veritas. De fide est secundam Personam Trinitatis esse Filium ; & non est de fide , in esse Filij

constitui per susceptionem naturæ secundæ: idemque de alijs decem & sex modis, in quibus divisæ sunt tot sententiae circa constitutionem Filij. Item certum est Deum liberè decernere creaturas; & solum est probabilis quilibet ex innumeris modis constituendi decretum liberum. Quorum ratio est: quia potest esse de fide aliqua res, quin sit de fide hæc, vel illa esse constitutiva rei. Item potest esse de fide aliqua conclusio, & ratio probativa solum probabilis.

24 Ideò ad argumentum dist. mai. Nemo potest habere actum fidei nisi ex vi revelationis, quam cognoscat certam connexam cum obiecto, sub his terminis *revelatio connexa*, seu quoad an est, conc. mai. sub his *revelatio taliter constituta connexa*, seu quoad quid est, nego mai. & conc. min. nego cons. Quia hæc veritas, *Omnis riœ electus est verus Pontifex*, communiter iudicatur de fide: & consequenter iuxta ferè omnium sententiam datur revelatio connexa cum dicta veritate; quamvis dissidium sit, an revelatio universalis, sit se sola *absolutè connexa*; an constituatur in esse *absolutè connexæ* per purificationem

conditionis; an purificationem dicat de connotato. Si vero assentiret aliquis vnicè propter revelationem conditionatam, & purificationem conditionis, vnicè appreciando complexum, tanquam motivum sufficiens: quia iudicabat, ex ipsis resultare revelationem absolutam; si re vera ex illis non resultat revelatio absoluta, ille actus non esset fidei; esset tamen fidei, si apprecaaret tanquam motivum sufficiens *revelationem absolutam*, quæcumque illa sit sub his terminis datur *revelatio absoluta*. Et idem accidit in alijs sententijs.

25. Adverte: ut ex vi revelationis universalis possimus credere singularem esse necessariam certitudinem moralē strictam de purificatione conditionis, fundata in argumentis credibilitatis redditibus imprudentem formidinem; & non sufficit certitudo moralis negativa, consistens in eo, quod non detur fundamentum ad dubitandum; & propter hanc rationem, non possumus credere puerum, quem videamus baptizari, esse in gratia: hanc hostiam continere Corpus Christi. Adverte 2. Has veritates Cicero est descendens ab Adamo: contraxit originale, quæ iuxta dicta sunt

de fide; relatè ad actum ante piam affectionem, solum habere certitudinem moralem; relatè veò ad actum subsequentem piam affectionem, habere certitudinem metaphysicam. Et ratio est: quia iudicium primum movetur ex argumentis credibilitatis, quæ solum fundant certitudinem moralem; iudicium secundum movetur ex revelatione, quæ est metaphysicè connexa cum obiecto, & idem accidit de alijs mysterijs: de quibus, posita certitudine morali, potest voluntas imperare assensum firmissimum. De his plura seqt. sequentibus,

SECTIO IIJ.

An sit de fide Clementem XI. esse verum Pontificem?

26

Sup. i. Quæstionem procedere de Pontifice, de cuius rita electione non datur probabilis controversia: quia si daretur controversia, etsi forte esset de fide secundum se, hunc esse verum Pontificem, non esset de fide *quoad nos*, de quo procedit quæstio. Constat autem cum morali certitudine, verus Pontificatus, si p-

cificè

cificè sedeat; vel si à primo acceptatus sit à Cardinalibus, qui ab Ecclesia acceperunt potestatem eligendi, & declarandi Pontificem. Non tamen est verè Papa, nec elegitur; ut sit verus Papa, donec sacris initietur, si non sit iniciatus. Hæc quæstio disputari potest duplicitè; primò directè, an sit de fide Clementem esse verum Pontificem? Secundò reflexè, an sit de fide, esse de fide? Modo agimus de directa; agemus poste à de reflexa.

27 Sup. 2. Hanc propositionem *Clemens XI. non est verus Pontifex*, saltem esse temerariam: quia sine fundamento, & contra communem sensum fidelium. Eisset etiam scandalosa vi potè inductiva schismatis. Imò Suarez disput. 10. sect. 5. Arriaga disp. 7. dicunt fore hæreticam quamvis assertor non eisset formaliter hæreticus propter opinionem oppositam. Eisset etiam erronea vi potè contra conclusionem Theologicam.

28 Prima sent, dicit, non esse immediate de fide Clementem esse verum Pontificem. Ita Turrificem. lib. 4. Sum. Caiet. 2. 2. quæst. 1. artic. 5. Castro lib. 1. de Hæres. cap. 9. Cano lib. 6.

de Locis, cap. 3. Corduba lib. 1. q. 17.
 Bañez 2. 2. quæst. 1. art. 10. Marlerus
 disp. 5. Araujo dub. 2. concl. 2. cita-
 tur etiam Bellarm. à P. Oviedo con-
 trov. 4. punct. 7. Pro parte affirmati-
 va stant omnes DD. huius temporis
 apud Ripalda disp. 8. sect. 5. Salmant.
 disp. 4. dub. 2. Sendin supr. à num. 77.
 Munief. disp. 3. sect. 10. Palanco dis-
 put. 3. quæst. 11. Castro Palao tom. 1.
 tract. 4. disp. 1. punct. 5. vbi benè no-
 tat, & post ipsum alij , diversas esse has
 propositiones Clemens XI. est verus Pon-
 tifex: & hæc reflexa, *De fide est Clementem*
XI. esse verum Pontificem: & hæc
secundo reflexa, De fide est esse de fide,
Clementem esse verum Pontificem. Ad-
 dunt tamen aliqui ex negantibus, quod
 dum Pontifex aliquid definit, aut cele-
 brat Canonizationem, tunc incipit esse
 de fide, esse verum Pontificem.

29 Placet sententia affirmativa,
 quæ probari potest cum Suario. 1. Quia
 si non esset de fide Clementem esse ve-
 rum Pontificem, non esset de fide , quæ
 ab ipso definiuntur : quia eodem actu,
 quo credimus , obiectum definitum à
 Pontifice, credimus esse verum Pontifi-
 cem. Credere enim obiectum definitum,
 est

est credere esse legitimè definitum , & consequenter definitum à vero Pontifice. Hæc ratio alijs displicet , quia respectu actus credentis obiectum definitum , Pontifex non se habet ut obiectum materiale : quia hoc est obiectum definitum ; neque ut obiectum formale : quia hoc est authoritas divina revelationis. Itaque verus Pontificatus respectu talis actus, solum se habet ut conditio proponens obiectum prudenter credibilem.

30 Probari posset 2.. Quia si non esset de fide Clementem esse verum Pontificem , prudenter possemus formidare de rebus ab ipso definitis : quo argumento communiter probari solet , de fide esse , Tridentinum esse legitimum Concilium : quia alias , non esset de fide , quod ab ipso definitur , & de eis possemus formidare , hæc ratio magis displicet ; quia quod modo sit moraliter certum esse verum Pontificem , non possumus prudenter formidare : potest autem esse moraliter certum , quin sit de fide : sicut est moraliter certum existere Romanam , & non est de fide divina : Ita similiter , per autoritatem humanam Ecclesiæ possumus af-

fen-

sentire certo moraliter , aliquem esse verum Pontificem , & ille assensus non esset fidei divinæ. Itaque obiectum definitum pendet ab authoritate Dei revealantis , tanquam à motivo : ab authoritate Ecclesiæ proponentis , tanquam à conditione non respecta intrinsecè per actum fidei : & à qua solum , accipit assensus certitudinem subiectivam , quoad prudens imperium ; non vero obiectivam , & metaphysicam.

31 His omissis probatur conclusio rationibus , quibus probavimus per revelationem vniuersalem reddi de fide *quoad nos* veritates singulares , quoties constat cum morali certitudine contineri in vniuersali. 2. De fide est dari Ecclesiam Catholicam Romanam determinatam , & non vagam , scilicet , quam fides discernat à Congregatione falsa : ergo de fide est dari caput illius determinatè , & non vague , quod fides discernat à non vero capite. Saltem pro tempore , in quo non vaccaverit sedes , nec fuerit schisma. Consequentia patet ex Matth. 16. *Tu es Petrus , & super hanc petran adificabo Ecclesiam meam:* in quo D. Petrus , & Successoribus promittitur Ecclesiæ regimen , vt constat

Istat ex Concilijs, & SS. PP. 3. De Fide est Ecclesiam non posse errare in acceptandis, & proponendis rebus concerneantibus fidem, ut pater ex Matth. 16. *E*s portae inferi non prevalebunt ad adversus eam: Et ex prima ad Thimoteum 2. Vbi Ecclesia dicitur: *C*olumna, & firmamentum veritatis. Sed Clementem esse verum Pontificem maximè concer- nit fidem: ergo de fide est Ecclesiam non errare in acceptando, & propo- nendo Clementem esse verum Pontifi- cem. Sed hanc acceptationem esse ve- ram est Clementem esse verum Ponifi- cem: ergo de fide est Clementem esse verum Pontificem.

32 4. Martinus V. in Concilio Constanensi, ses. 45. inter interrogati- ones faciendas Hæreticis redeuntibus ad Ecclesiam, hanc proponit: *Q*uis credat quod Papa Canonice electus, qui pro tempore fuerit, eius nomine expresso, sit successor D. Petri habens supremam au- thoritatem? Ergo cum Ecclesia non pos- sit præcipere, ut credamus, nisi quod est de fide; imò & quod moraliter certum est esse revelatum; vt constat ex propositionibus damnatis ab Inno- centio XI erit de fide Clementem esse verum Pontificem.

Ad-

33 Adde fortè AA. oppositæ sententiæ nullatenus eam fore defensuros in his circumstantijs. Eam defendere poterant suo tempore: quia probabile erat, posse dari fidem cum sola probabilitate revelationis; ideoque illis temporibus cum sola probabilitate revelationis poterat. Ecclesia præcipere fidem: quia potest præcipere fidem, dum hæc est possibilis. Cum tamen iam sciamus non posse dari fidem, nisi cum certitudine morali revelationis, dum Ecclesia præcipit credere Clementem esse verum Pontificem, declarat dari moralem certitudinem revelationis de verò Pontificatu, quæ data negari non potest esse de fide Clementem esse verum Pontificem.

34 Dices cum Salmanticensibus; prædictam Bullam Martini non probare esse de fide Clementem esse verum Pontificem: quia sufficiet esse errorem oppositum, & quod negare Pontificatum sit scandalum, & ratio est quia talis articulus non solum hæreticis, sed etiam suspectis in fide proponitur credendus. Contra, quia omisso quod hæc interpretatio videatur laxa, & sine fundamento: ille articulus proponitur cre-

den:

dendus. Sed non potest proponi ab Ecclesia credendum, nisi quod est de fide: ergo. Dicent ly credere sumi etiam latè pro assensu Theologico, qui assensus communiter vocatur fides. *Contra:* Hæc interpretatio videtur voluntaria: alias eodem sensu intelligetur de omnibus alijs mysterijs, quæ ibi proponuntur credenda: quod est aperte falsum. 2: Quia in materia doctrinali, qualis est dicta, non licet tam large interpretari verba, quæ sonant strictam fidem, qualia sunt verba, *Quis credat:*

35 Dices: Hæc ad summum probare, esse de fide Clementem esse verum Pontificem, si sit certum esse ritus electum: cum tamen ad ritam electionem requiratur esse factam à legitimis electoribus cum debito suffragiorum numero, absque violentia, metu gravi, aut simonia, & de his constare non possit: hinc est, non esse certum moraliter, & consequenter, nec de fide quo ad nos Pontificatum Clementis. Nec obstat, quod proponatur absolute credendum: quia etiam ægratis proponitur absolute credendum: *Credis, quod hoc, quod meis in manibus teneo est verum*

Corpus Christi? Tamen hoc solum potest credi fide conditionata implicitè, si hostia sit ritè consecrata. *Contra:* Quia licet pro priori ad acceptationem Ecclesiæ, & pacificam possessionem, non possit nobis constare de rita electione, propter dicta; cum certum sit Ecclesiam errare non posse in proponendis rebus pertinentibus ad fidem, pro posteriori ad acceptationem; propositio nem, & pacificam possessionem, constat, & est moraliter certum esse ritam electionem, nullum fuisse impedimentum ex relatis, ministrum baptizantem Pontificem, habuisse intentionem, & sic de alijs requisitis ad verum Pontificatum. Similiter est immoraliter certum, antecessores fuisse veros Pontifices: quia licet id solum constet ex historijs humanis, cum hæ sint acceptatae ab Ecclesia æquivalent acceptationi pacificæ Pontificis.

36 Nec urget paritas ægroti; ut constat ex fine diverso interrogatio nis: quia ut omnibus constat, ægrotus non proponitur novus articulus credendus; sed solum proponitur, ut fidem confessam in priori articulo applicet illi hostiæ, ut eam cum maiori devotus

devotione recipiat ; at verò interrogatio Martini proponitur suspectis in fide, ut examinentur de fide , & de supremo capite, & regula : & suspecti in fide non dubitant , esse supremum caput, si sit rite electus, idè non examinantur de fide implicitè conditionata ; sed solum de fide absoluta capit, quod negant, aut de quo dubitant.

37 Dices : Ecclesiae acceptationem , & propositionem non fundare certitudinem moralem de rite electione passiva : quia Ioannes VIII. fuit acceptatus in Pontificem, & non fuit rite electus: quia Marianus Scotus, & Martinus Polonus dicunt fuisse scemnam: *Contra*: Quia Bellarm. lib. 3. de Romano Pontifice , cap. 24. & omnes controversistæ ; imò & ex Calvinistis David Blondellus in peculiari lib. rident hoc tanquam fabulam. *Dices*: Re Etè componitur esse acceptatum ab Ecclesia, & esse simoniace electum : & simoniace electus non est verus Pontifex. *Contra*: Quia hoc ipso quod sit acceptatus ab Ecclesia , est moraliter certum , non esse simoniace electum ; imò metaphysicè certum : alias Deus permittens errorem tam pernitosum.

faceret contra promissa dicentia non
de futurum caput , & rectum regimen
Ecclesiae.

38 Dices: Non maiorem vim ha-
bet acceptatio Ecclesiaz, quam declara-
tio Summi Pontificis, ut talis. Sed Sum-
mus Pontifex potest aliquid declarare,
& quod non sit moraliter certum: ergo
similiter. Prob. min. ex historia apud
Bellarm. lib. 4. de Roman. Pontifice,
cap. 12. Formosus Cardinalis, & Epis-
copus Portuensis depositus, & degrada-
tus est à Ioanne VIIJ. degradatus iura-
vit , nunquam ad Episcopatum redditu-
rum. Mortuo Ioanne , eius successor
Martinus II. absolvit à iuramento For-
mosum , & dignitati pristinæ restituens
non diù Formosus Papa creatur, & mo-
ritur. Successit Stephanus VI. & in Con-
cilio Episcoporum declaravit Formo-
sum non fuisse verum Pontificē, & qui
ab illo Sacros Ordines acceperant, coë-
git iterum ordinari. Displicuit hoc fa-
ctum omnibus. Ideò 3. Pontifices or-
dine succedentes Romanus I. Theo-
dorus II. & præcipue Ioannes IX. con-
vocato Concilio Episcoporum declara-
runt Formosum fuisse verum Pontifi-
cem. Successit Sergius IIJ. qui decla-
gavit

gravit Formosum non fuisse verum Pontificem, & declarationem Ioannis IX. fuisse nullam. Vbi, vt vides, declarationes Pontificum, ut potè sibi oppositæ, non possunt reddere certum moraliter, quod declarant. Censent omnes Catholici Stephanum VI. & Sergium IIJ. male fecisse, & eius decreta, declarationes, & præcepta habita esse ut nulla à prudentibus. Ideò respondeo: Declarationem Summi Pontificis ex assistentia Spiritus Sancti factam, fundare certitudinem moralem, imò infallibilem: quomodo autem cognosci poterit, an sit ex assistentia Spiritus Sancti; an ex odio, aut nimio amore? Agnosci poterit ex pacifica acceptatione declarationis.

39 Dices: Approbatio iurata à Concilio Generali non facit certitudinem moralem: ergo nec acceptatio Ecclesiæ. Prob. antec. Quia omnes PP. Concilij Constantiensis iudicarunt, Concilium esse supra Pontificem, & iurarunt illud decretum esse confirmandum à quocumque ex præsentibus electo in Summum Pontificem: electus est tunc ex præsentibus Martinus V. qui noluit confirmare tale decretum:

ideòque adhuc disputant AA. an Consilium sit supra Pontificem, an è contra? *Resp.* Concilium Generale non confirmatum facere magnam probabilitatem; non tamen certitudinem moralem.

40 Dices: Nec Concilium confirmatum à Pontifice facit certitudinem moralem: ergo nec acceptatio Ecclesiae. *Prob. ant.* Concilium Anglicanum coconfirmatum à Zacharia dicit, *Baptismum esse irriuum, si conferatur nomine Christi, & non in nomine trium Personarum;* & tamen Nicolaus I. postea declaravit esse ratum Baptismum datum nomine Christi; apud Bellarm. lib. 4. de Romano Pontifice, cap. 12. *Resp.* Admissum fuisse tale Concilium, de quo non facit mentionem Beda; imò sequitur sententiam oppositam Concilio in cap. 10. actuum. *Resp.* Concilium definitum esse necessariam invocationem trium Personarum; non verò declarasse an nominandæ essent explicitè, an implicitè, sicut nominantur implicitè in nomine Christi. *Resp. 2.* Illud Concilium laudatum fuisse à Zacharia, non tamen illud approbasse, neque eius decreta confirmasse. Ita Bellarm.

Dices:

41 Dices : Potest Pontifex acceptatus ab Ecclesia incidere in hæresim externam occultam, vt communiter dicitur contra aliquos : tunc ipso facto cadit à Pontificatu : quia est membrum separatum ab Ecclesia , ut potè excommunicatum: ideoque non potest esse illius caput; imò communiter fertur , ita accidisse S. Marcelino , & de. Ioanne XXII. de quo fertur sensisse animas Sætorum non videre Essentiam Divinam ante diem iudicij. *Contra* : Quidquid aliqui dicant est communis sententia apud Oviedo controv. 4. num. 100. Pontificem non cadere à Pontificatu per hæresim, donec publicè declaretur ab Ecclesia , ut hæreticus : itaque licet sit excommunicatus , & in ordine ad alia sit membrum separatum ab Ecclesia per hæresim externam occultam , in ordine tamen ad regimen Ecclesiæ, authoritatem , & iurisdictionem , est membrum Ecclesiæ.

42 Aliqui apud Suarium disp. 10. sect. 5. dicunt Ecclesiam posse errare materialiter in proponendo Pontificem, illum scilicet, qui re vera non sit talis; non verò formaliter : quia ille Pontifex existimatuerat eandem po-

testatem , & iurisdictionem , ac si esset verus Pontifex ex illis verbis : *Tu es Petrus, &c.* Ita Lef. lib. 2. de Iuslit. cap. 25. disp. 35. & ex illo Tantius. Sed hoc est falsum, quia si haberet eandem potestatem , & iurisdictionem ad omnes actiones proprias Summi Pontificis, hoc esset esse verum Pontificem , & non solum existinatum : quia si haberet talē potestatem , &c. haberet assidentiam Spiritus Sancti promissam successoribus D. Petri ad declarandum veritates fidei , & sanctitatem iustorum ; quae non est promissa non successoribus Divi Petri; præsertim cum sine necessitate , & contra communem sensum admittatur potestas veri Pontificis in non vero Pontifice. Secundò : quia Pontifex existimatus posset non esse Sacerdos , sine qua potestate absolvendi , & consecrandi , non potest dari potestas Pontificia , ut inquit Suarez ; & licet dari posset , quod Ecclesia posset errare in proponendo tanquam Sacerdotem Romanem caput incapax absolvendi , & consecrandi : ex quo , quicquid dicat Arriaga , maius inconveniens sequitur , quam si simplex Sacerdos , aut Episcopus absolveret , aut ordinaret

invalidè : cum primum sit in præiudicium totius Ecclesiæ ; secundum vero in præiudicium alicuius particularis.

43 Dices: Ecclesia acceptavit matrimonia Eunuchorum, & credidit esse valida, usque ad Sixtum V. qui declaravit esse nulla : si ergo Ecclesia erravit in tali acceptatione, cur errare non poterit in acceptando Pontificem? *Contra:* Ex Oviedo: Quia Ecclesia nunquam declaravit, neque positivè credidit, matrimonia Eunuchorum esse valida ; sed quia non erat compertum, an essent validæ, ea permisit, donec examinata quæstione ferretur sententia, quæ lata est tempore Sixti. Alia concernentia videbimus sect. 5.

SECTIO IV.

Solvuntur obiectiones.

44 **O**bijc. i. Post decretum Innoc. XI. damnantis afferentes solam probabilitatem de obiecto, ut revelatio, sufficere ad fidem, non potest esse de fide quoad nos, veritas, seu conclusio, quæ non sit moraliter certa revelata. Sed non est mora-

litter certum , esse reuelatum hunc esse
verum Pontificem: quia est idem ac ne-
gare revelationem ; vel saltem negare
certitudinem moralem de revelatione:
ergo non est de fide Clementem XI.
esse verum Pontificem. Respondent ali-
qui nostram conclusionem , solum esse
probabilitèr de fide: quia cum sit pro-
babilis sententia contraria, solum datur
probabilitas de morali certitudine re-
velationis : cum hac solutione fatisfa-
cere intendant decreto Innocentij, qui
solum condemnat, afferentes probabili-
tatem de obiecto revelato sufficere ad
fidem; hi verò concedunt certitudinem
moralem de obiecto revelato; quamvis
hanc concedant solum probabilitèr.

45 **Contra 1.** Quia respondendo
probabile esse, esse de fide, non videtur
satisfieri veritati , & decretis Ecclesiæ:
quia dum probabile est tantum ali quid
esse de fide , potest quis prout libuerit
concedere, aut negare ; & tamen Pater
Gaspar Hurtado , dum esset Collega
maioris Divi Ildefonsi vocatus est Ro-
manum à Clemente VIIJ. eo quod defen-
derit non esse de fide Pontificem pro
tempore sedentem esse verum Pontifi-
cem. **2.** Qui probabilem iudicat oppo-
sitam

sitam sententiam non potest esse certus de nostra conclusione, ut revelata. Sed qui non est certus de nostra conclusione, ut revelata, non potest assentire assensu fidei, qui circa hanc materiam debet esse firmus: ergo qui probabilem iudicat oppositam sententiam, non potest assentiri assensu fidei, Clementem esse verum Pontificem. *Explicat.* De facto possumus habere assensum fidei de Pontificatu Clementis, ita firmum, ut ex vi motivi propositi excludat formidinem, tanquam imprudentem. Sed qui iudicat oppositum probabile, non potest ex vi revelationis propositæ habere assensum adeò firmum, ut excludat formidinem tanquam imprudentem: si enim iudicat formidinem esse prudentem, quomodo potest excludere formidinem, ut imprudentem? ergo qui probabilem iudicat oppositam sententiam, non potest habere assensum fidei de Pontificatu Clementis,

46 Itaque probabilitè possimus utrinque disputare. 1. An hoc sit revelatum, vel non? 2. An sit moraliter certum esse revelatum, an non? At vero non potest probabilitè utrinque disputari, an possit credi assensu firmissi-

missione, an non? Quia licet possit probabilitè utrinque disputari, an detur certitudo moralis de revelatione: qui probabilitè iudicaret non esse moraliter certum, non posset habere assensum firmum: imò neque posset habere assensum firmum, qui solum probabilitè iudicaret esse moraliter certum; probabilem tamen iudicat oppositam sententiam, vt videtur patere; si enim iudicat formidinem esse prudentem, quomodo potest excludere formidinem, vt imprudentem? Alij respondent, hanc propositionem esse de fide directe, non verò reflexè; sed addunt in hoc sensu loqui AA. negantes esse de fide. Verum vt cognoscatur non esse hunc sensum AA. negantium, legantur ipsi.

47 Resp. ad argum. concedendo, non posse esse de fide veritatem, quæ non sit certo revelata; attamen dico esse certum moraliter hanc veritatem esse revelatam; & sententiam contrariam non esse mihi probabilem. Neque hoc est censurare: quia vt benè advertunt Salmanticenses disput. p. dub. 4. immunis est à censura, qui dicit esse improbabilem opinionem, de cuius

probabilitate dubitatur ab AA. cum autem idem sit inquirere, an sit de fide, seu an credi debeat, seu discredi non possit Clementem esse verum Pontificem, ac dubitare de opinione contraria, ideo liber est à censura, qui dicit illam esse improbabilem, saltem cum hac restrictione *quoad me.* Præterquam hæc, si est censura, non datur à nobis sed ab Ecclesia. Quia cum Ecclesia ex una parte dicat, non sufficere probabilitatem revelationis ad credendum; & ex altera iubeat credere Pontificatum Clementis, hoc ipso dicit, esse moraliter certum dari talem revelationem, & oppositum esse imprudens; & improbabilem sententiam oppositam, tam directam, quam reflexam: quia de utraque æquè probat: & non solum esse *intrinsecè*, verum etiam *extrinsecè* improbabilem.

48 Dices: Temerarium est censurare id, quod est conforme prudentiæ. Sed sententia contraria est conformis prudentiæ, ut potè quæ probabilis est, & etiam est conformis rectæ rationis ergo &c. Argum. probat, quod nequa in questionibus directis licet negare rem, quam alia sententia probabiliter affir-

affirmat: quia erit negare; quod est conforme prudenter, & rationi. *Resp.*
dist. mai. Temerarium est censurare
 quod apud omnes est conforme ratio-
 ni, conc. mai. quod apud aliquos tan-
 tum, subdist. censurare censura omni-
 no absoluta, perm. mai. censura re-
 stricta *michi est improbabilis*, nego mai.
 & dist. min. nego conseq.

49 Sed quia huc pertinet resolvi-
 re, an sit de fide, esse de fide Clemen-
 tem esse verum Pontificem: quia ut no-
 tant Salmanticenses disput. 4. dub. 2.
 num. 26. hæc duæ propositiones valde
 differunt: *Hæc propositio est de fide: De*
fide est hanc propositionem esse de fide:
 quia de fide est, esse de fide Verbum
 esse incarnatum: quia omnibus constat,
 esse ab Ecclesia propositum hoc myste-
 rium. Sed quia, ut aiunt, forte defini-
 tium est à Senonensi contra Lutherum;
 decreto 15. & à Tridentino, contra
 Calvinum, sess. 6. can. 4. *Gratiam non*
esse ab intrinseco efficacem. Cum non
 constet evidenter moraliter de hac de-
 finitione Ecclesiæ, non est de fide, esse
 de fide: ideoque non est habendus hæ-
 reticus, qui dicat *gratiam esse ab in-*
trinseco efficacem; imò ab Ecclesia præ-
 ceptum

ceptum est , ne quis sententiæ contra-
riæ talem censuram inurat.

50 Circa hanc difficultatem , negant de fide esse , esse de fide , qui negant directam : & ex concedentibus directam ferè omnes , qui dicunt , non esse hereticum , qui talem veritatem negaret ; nihilominus affero cum Suarez disp. 10. sect. 5. num. 9. Arriaga dis-
put. 7. sect. 8. Ioan. à S. Thom. disp. 8.
art. 2. prout citatur à Salmanticensi-
bus , Sendin confrov. 6. in distinctio-
ne , de fide esse , esse de fide Innocen-
tium esse verum Pontificem. Et respō-
sio est : Quoties est moraliter certum
aliquam veritatem esse revelatam (sal-
tem certitudine orta ex vi præceptiva
Ecclesiæ) est de fide , illam veritatem
esse de fide. Sed propter rationes da-
tas in conclusione directa est moraliter
certum (& ex vi præceptiva Ecclesiæ ,
ut patet ex Martini decreto , & ex Cle-
mente VIIJ. vocante defendantes op-
positum) hunc esse verum Pontificem :
ergo de fide est , esse de fide hunc esse
verum Pontificem. Maior est certa : quia
non alia ratione est de fide , esse de fi-
de mysterium Incarnationis , & reliqua
mystera .

51 Aliter: Particularis est de fide directe, quia est de fide universalis. Sed universalis est de fide reflexe: ergo & particularis. Vel contra, si stat universalis esse de fide reflexe, quin talis sit particularis; cur non stabit universalis esse de fide directe, quin talis sit particularis? Itaque: qui in sensu composito iudicij de certitudine morali revelationis, & de improbabilitate sententia oppositæ directe dissentiret, esset infidelis, et si baptizatus esset, esset haereticus: non minus quam si negaret, Romanum Pontificem esse Petri successorem, ut inquit Suar. Quia tamen sententia contraria directa permittitur ab Ecclesia, & præcipue reflexa negans esse haereticum, qui negaret esse verum Pontificem, dummodo affirmaret, omnem ratione electum esse verum Pontificem, esset schismaticus; sed excusaretur ab haeresi formalii propter ignorantiam invincibilem apud ipsos. Itò & qui sequens nostram doctrinam negaret Pontificatum hui us, quamvis esset in re haereticus, non incur reret excommunicacionem impositam haereticis: quia haec pena solum est imposta pro haeresi, quæ constanter talis sit apud Ecclesiam.

Obijc,

¶ Obijc. 2. Si esset de fide Cle-
mentem esse verum Pontificem, esset de
fide existere, vivere, esse baptizatum, &
esse res eelectum: quia aliqua ex his af-
firmantur per assensum fidei absolutæ,
& omnia sunt requisita ad verum Pon-
tificatum. *Resp.* cum Arriaga, Castro
Palao, Ojea, Lumbier, conc. sequelam
non absurdam, quidquid alij dicant
cum Suarez, & Muniessa; & in primis
nescio, cur negari possit esse de fide
existere, & vivere (consequenter ad ri-
tam electionem) quia per actum fidei,
quo affirmatur esse verum Pontificem,
affirmatur existere, & vivere; ne illa fi-
des sit conditionata, dicens esse verum
Pontificem, si forte vivat: itaque dura-
tio illius est de fide; non tamen præ-
sentia, quia haec non affirmatur, nisi
forte, ut verius iudico, talis revelatio
non sit solum metaphysica, hoc est, ex-
pliicans solum essentiam, & proprieta-
tes metaphysicas; sed vulgaris, hoc est,
expliicans etiam proprietates physicas,
de quo infrà. Deinde quod attinet ad
ritam electionem, & baptismum, di-
cendum est, pertinere ad fidem, ut quo,
ea ratione, qua pertinet revelatio: quia
purificatio conditionis, quæ resultat ex.

baptismo , & rita electione , constituit illam revelationem in esse absolute. Deinde de baptismo constat ex revelatione dicete, *Hanc Ecclesiam esse unam, constantem ex membris baptizatis.* Si ergo constat moraliter esse membrum, & tam principale Ecclesiae, constat morali certitudine esse baptizatum ; & consequenter de fide est ex vi huius revelationis; non tamen est de fide ministerium habuisse intentionem baptizandi, quamvis est moraliter certum : quia hoc non affirmatur per revelationem.

53 . In super non bene percipiuntur, quomodo sit de fide *Pontificatus*, & solum sit moraliter certa rita electio: quia haec est bona consequentia , *Non est ritè electus : ergo non est verus Pontifex:* ergo ab opposito consequentis est bona consequentia metaphysica, *Est verus Pontifex : ergo est ritè electus : ergo ex vero Pontificatu inferitur metaphysicè rita electio: ergo si semel est de fide, & metaphysicè certus Pontificatus, est non solum moraliter ; sed metaphysicè certa rita electio. 2. In bona conseq. metaphysica antecedens est metaphysicè conexum cum consequenti. Sed haec est bona conseq. metaphysica , *Est verus**

Pon-

Pontifex : ergo est rite electus : ergo versus Pontificatus est metaphysice conne-xus cum rita electione : ergo si est de fide, & metaphysice certus Pontificatus, est metaphysice certa rita electio. 3. In bona conseq. metaphysica non potest antecedens esse metaphysice infallibile & consequens solum moraliter infalli, bile. Sed dicta est bona conseq. meta-physica : ergo si Pontificatus est meta-physice infallibilis, non potest rita elec-tio esse solum moraliter infallibilis. Maior patet : quia in bona conseq. me-taphysica ea ratione, qua consequens potest esse falsum, & fallibile, antece-dens ex quo metaphysice infertur, po-test esse falsum, & fallibile. 4. Quando non est metaphysice ; sed solum moraliter infallibile existere conditionem es-sentialiter requisitam ad existentiam alterius, non est metaphysice ; sed solum moraliter infallibile existere alterum, ut patet in alijs materijs. Sed rita elec-tio saltem est conditio essentialiter re-quisita ad verum Pontificatum : ergo. Mai. videtur nota: quia ea ratione, qua potest deficere conditio essentialiter re-quisita ad conditionatum, potest defi-cere conditionatum. His similes possunt

formari aliæ formæ. Hæc magis constat ex dictis disp. 3. sect. 1. & 3. vbi diximus non posse contingere adhuc in alia providentia, seu adhuc *metaphysicè*, Deum permettere aliquid proponi respectu omnium ut moraliter strictè certum, & quod sit falsum: quia esset falsitatis testis: ideoque ante assensum est metaphysicè *objectivè* certum existere revelationem Incarnationis v. gr. *subjectivè* tamen; saltem iuxta communem sensum non sumus *metaphysicè* certi ante assensum.

54 Obijc. 3. Non est de fide hoc numero Concilium, scilicet Trident. esse legitimum: ergo neque hunc esse verum Pontificem. Prob. ant. Trident. esse legitimum Concilium, est suisse congregatum ex legitimis Episcopis. Sed non est de fide; imò neque moraliter certum, Episcopos esse legitimos: quia nec de fide, nec moraliter certum est, eos esse baptizatos, *legitime* consecratos, &c. ergo &c. Deinde non est de fide canonizatos esse SS. ergo neque hunc esse verum Pontificem. Ab hoc arguento facile se expediet, qui dicat cum Bellarm. tom. 1. lib. 2. de Conciliorum autoritate, ad hoc ut
Conc.

Concilium sit legitimum , sufficere eos
convenire , qui exterius regunt Eccle-
siam ; et si in re , aut non sint baptizati ,
aut sint haeretici , in quo maximè res-
plendebit assistentia Spiritus Sancti ,
qui non permittit eos in rebus dogma-
ticis errare . Si hæc non placent , dic
cum Oviedo , esse moraliter certum ma-
jorem partem PP. Conciliij esse bapti-
zatam , legitimè ordinatam , &c. eo
quod sunt ex terris tamen Catholicis
& quia si ad valorem Conciliij dicta re-
quiruntur , Deus qui suam assistentiam
promisit Ecclesiæ , non permettit hæc
deficere maiori parti ex adstantibus . Ad
id quod additur , dic esse de fide cano-
nizatos esse in gloria : canonizatio est
definitio , & declaratio de gloria cano-
nizati , ut ex varijs Bullis probat Arria-
ga disp. 7. sect. 5. sicut ergo definitio
alicuius doctrinæ facit de fide illam
doctrinam : similiter accidit in gloria
canonizatorum .

55 Pro alijs obiectionibus vide
sect. 1. vbi solvimus plura. Adverte
qui negaret Clementem esse verum Pon-
tificem , non solum esset schismaticus ,
quia scinderet unitatem Ecclesiæ quam
omnes debent habere cum capite , quod

moraliter constat esse tale; sed etiam esset suspectus de haeresi: quia ut inquit Oviedo controv. 12. punct. 4. talis est, qui negat conclusionem deductam ex una præmissa de fide, & alia moraliter certa. Adverte etiam posse credi fide divina posse dari fidem circa dictam veritatem. Et ratio est: quia ut constat ex Scripturis, possumus credere fide divina posse dari fidem circa obiecta sufficienter revelata. Sed hunc esse Pontificem est sufficienter revelatum: ergo possumus credere fide divina posse dari fidem circa hanc veritatem. Itaque etiam in hoc sensu vera est reflexa, *De fide est, esse de fide.*

SECTIO V.

Aliæ obiectiones solvuntur.

56. **P**ro pleniori intelligentia huius questionis alias obiectiones proponam, quæ fortè non displicebunt. Obijc. 1. Si esset de fide,

est ex vi revelationis universalis, & ex eo quod constet cum morali certitudine esse ritè electam. Sed hoc non sufficit, ut sit de fide: ergo. Prob. min. Non suffi-

sufficit revelatio universalis, quod decernit Concilium congregatum iussu Pontificis, & à Pontifice approbatum est verum (in ore duorum, vel trium, &c.) & quod sit moraliter certum Concilium determinatum esse ritè congregatum, & approbatum non sufficit, ut sit de fide aliqua propositio doccta à Concilio. Prob. antec. Concilium Toletanum celebratum iussu Leonis I. ut patet ex cap. 21. & ab eodem approbatum, dicit canone 17. posse admitti ad communionem eum, qui concubinam habet, modo non sit vxoratus. Sed hæc propositio non est de fide, neque vera: ergo. Vel sic: si esset de fide, esset verum Pontificem non posse errare in approbatione doctrinæ pertinente ad mores. Sed potest errare; ergo. Prob. min. casu posito.

57 Si dicas: Concubinam hic vocari uxorem dum sine dote, & externa solemnitate, & sine publicis instrumentis, ut notavit Gracian. dist. 34. Can. omnibus, & est conforme iuri civili, ut patet ex novella 18. Iustiniani. Sic Genes. 16. Agar; & 25. Cetura, dicuntur concubinæ Abrahæ, quæ vere erant uxores. Contra: Quia Leo I. qui

hoc Concilium iussit, & approbavit, in epist. 22. ad Rusticum Narbonensem, cap. 4. loquens de uxore, & concubina, dicit, concubinam non esse verē uxorem, neque coniunctionem cum ea esse Sacramentum, & matrimonium, & propterea, eam mulierem, quæ nubit viro habenti concubinam non peccare, quasi nuberet homini coniugato: & ibidem asserit, Agar non fuisse veram uxorem Abrahæ; sed tantum concubinam: ergo vel erravit in approbando Concilium, vel erravit in epistola ad Rusticum: quia credi non potest in ea loqui in diverso sensu, quo loquitur Concilium.

58 Nihilominus tenet solutio: quia Leo non fuit Author totius Concilij; sed solum ultimi Canonis: cum initio Concilij dicatur Concilium congregatum tempore Honorij, & Archadij Imperatorum, quo tempore nondum erat Pontifex Leo, cum creatus sit Pontifex tempore Theodosij Iunioris trigesim tribus annis post mortem Archadij iuxta Chronicon Prosperi. Sed cum in ultimo capite Concilij ponatur quædam explicatio fidei, quæ dicitur facta iussu Leonis: dicendum, hanc factam post Con-

Concilium; sed Concilio annexum: quia ei subscripserunt Episcopi, qui anteà Concilio adstiterunt. Hæc constant, quia ante hanc explicationem ponuntur subscriptiones Episcoporum, & rursus eorundem subscriptiones ponuntur post explicationem. Vnde Leo non confirmavit nisi ultimum canонem suo tempore habitum. Vide Bellarmin. tom. I. lib. 2 de Concilijs, cap. 8. Et multa sunt in epistolis Decretaлиbus, quæ non faciunt rem de fide; sed solum opinionem declarant. Bellarmin. lib. 4. de Romano Pontifice, cap. 14. Sic docuit Cœlestinus III. per hæresim ita matrimonium solvi, ut possit cum alio contrahī; quod iam non est inter Decretales.

59 Obijc. 2. Concil. Roman. sub Stephano VII. irritavit acta Formosi, & ordinatos ab eo iussit iterum ordinari. Et Ioan. IX. in Concil. Raben. irritavit acta Conciliij sub Stephano, & approbavi acta Formosi apud Bellarmin. Supr. Resp. questionem fuisse de facto; non de iure, id est, *An Formosus. vel non, fuerit verus Pontifex?* Et quia Stephanus censuit, Formosum non fuisse verum Pontificem, irritavit eius acta;

quia

quia vero Ioan. re melius considerata censuit Formosum fuisse verū Papā cor- rexit errorem Conciliij prioris iuxta re- gulam Aug. in rebus de facto : *Concilia priora aliquando emendari à posterioribus.*

60 Obijc. 3. Concil. Constanç. sess. 4. definivit, Concil. Generale ha- bere à Christo immediatam authorita- tem, cui omnes obedire debent, etiam Pontifex. Vel hoc Concil. est appro- batum, vel non? Si non: ergo male de- posuit Ioann. XXIIJ. Gregor. XII. & Benedict. XIII. & elegit Mart in. V. citi reliqui successerunt usque hodie. Si est approbitum: ergo verum est quod definivit, & consequenter Concilium esse supra Papam. Confirm. Martin. V. sess. ultima confirmavit omnia decreta huius Conciliij circa fidem. Sed hoc de- cretum pertinere videtur ad fidem: er- gō. Resp. permisso Concil. esse legiti- mum (quia cum id decrevit, solum de- cērat tertia pars Ecclesiæ, scilicet Prælati, qui obediabant Ioanni.) Con- cil. solum definivit, Concilium Gene- rale habere à Christo immediatam au- thoritatem tempore schismatis, quando nescitur quis sit verus Pontifex, & tunc omnes obediare tenentur, etiam qui vo- cantur

cantur Pontifices , & potest deponere, & eligere , & in ordine ad hoc habet immediatam authoritatem à Christo; sed hoc non est habere potestatem supra Papam. *Ad confirm.* Martinus confirmavit decreta de fide **Conciliariter** habita , ut expressè dicitur illa sess. in quibus solum confirmavit damnationem Vviclef. & Hus. quia reliqua dicit Bellarm. non fuerunt **conciliariter** habita, id est, non fuerunt modo **aliorum** Conciliorum re diligentè examinatae: quia constat hoc decretum de Papa sine examine factum à Concilio.

61 Infistes : Concilium Basili. inductum à Martino , ut constat sess. 1. definivit sess. 19. fide Catholica credendum Concilium esse supra Papam. Deinde ab Eugenio IV. declaratum est sess. 1. legitimè continuatum esse hoc Concilium à sua inchoatione. Et confirmatum est cum suis actibus à Nicolo V. Sed Concilium Lateran. 5. Iub Leon. X. sess. 22. dicit : *Solum Romanum Pontificem tanquam super omnia Concilia autoritatem habetem ad transferendum, & dissolvendum plenum ius, & potestatem habere, &c.* Quod Concilium fuit Generale , quia omnes vocati sunt,

sunt, & omnibus patebat, et si Episcopū non pervenerint ad centum. Et licet non sint hæretici, qui hoc negent: quia dubium est, an hoc definiverit, ut decretum fidei tenendum; sed à temeritate magna excusari non poterit, qui hoc neget.

62 Resp. Concil. Basil. legitime inchoatum; sed illegitimum terminatum. Similiter falsum est Nicolaum V. confirmasse omnia acta Concilij: quia ut constat ex eius Bulla Concilio annexa, solum confirmavit, quæ Concilium decrevit circa Beneficia, & censuras Ecclesiasticas. Quod verò decrevit de superioritate supra Papam, nullus Pontifex appobavit; imò reprobata sunt ab Eugenio Papa, & à Concil. Lateran. 5. & ab Ecclesia, quæ Eugenium à Basiliensi depositum habuit ut verum Papam; imò & Papa Felix à Basiliensi electus, qui cessit Nicolao V. successor Eugenij IV.

63 Obijs. 4. Concil. Roman. sub Nicolo II. definit contra Berengarium, Non solum Sacramentum Corporis Christi; sed etiam ipsum verum Corpus Christi tractari, & frangi manibus Sacerdotum, & fidelium dentibus

itteri. Sed hic est error manifestus contra resurrectionem gloriosam: quia si frangitur, corruptitur, & moritur: ergo. *Resp.* conc. mai. in sensu vero, neg. in falso: quia Berengarius dicebat, hostiam, quæ frangitur esse merum signum, & non continere Corpus Christi, & Concilium definitivum non esse merum signum, sed etiam continere Corpus Christi: hanc esse mentem Concilij constat ex canon. Berengarius de Consecratione, dist. 2. Ideo frangitur Sacramentum, & Corpus Christi non in se, sed in signo.

64 Obijc. 5. Gregor. I. epist. 26. lib. 3. ad Ioannem Episcopum Calaritanum permisit Presbyteris conferre Sacramentum Confirmationis, quod iure divino solis Episcopis convenit. Hac ratione à Durando in quartum dist. 7. quæst. 4. accusatur erroris: & Adrianus in quæst. de Confirmatione, artic. ultim. dixit, Pontificem posse errare in definiendis dogmatibus fidei. *Resp.* conc. antec. Errasse Durandum & Adrianum: quia Florent. in instructione Armenorum, & Trident. sess. 7. canon ultim. dicunt, Episcopum esse Ministrum ordinata-

dinarium confirmationis, quod non tollit Presbyteros esse Ministros extraordinarius.

65 Obijc. 6. Honorius 1. à 6. 7.
 & 8. Synodo, & ab Agathone, & Leone II. damnatur ut hæreticus Monotelita : quia approbavit errorem Sergi, & Monotelitarum epistolis ad Sergium, vna quæ habetur à 6. Synodo act. 12. Altera act. 13. ergo potest errare. *Resp.* plures, inter quos Bellarm. defendere Honorium : quia cum Cyrus Alexandrinus cepisset praedicare vnam esse operationem in Christo ; Sophronius Ierosolimitanus duas operationes praedicabat : relata hac contentione ad Sergium Constantopolitanum, ipse retulit ad Honorium. Honorius metuens, ne schisma oriretur, & iudicans fidem posse salvari sine his vocibus scripturam 19. dicens, quod ab his vocibus abstineatur ne cum Enrico ponatur vna natura, aut cum Nestorio duæ Personæ in Christo. Et in secunda epistola docens modum loquendi dicit, *non nos oportet, unam, vel duas operationes definientes prædicare.* Sed pro vna operatione oportet intellegere vnum Christum operaturum;

&

& per duas , duas naturas , quæ dan-
tar in Christo. Si verò in refuit hæ-
reticus , non declaratus est vique ad
eius mortem ; non tamen approbavit
epistolis , nec decretis Hæreticorum
doctrinam. Vide Bellarm. lib. 4. de
Summo Pontifice , cap. 11.

66 Obijc. 7. Nicolaus IV. cap.
ex ijs, de verborum significacione, in 6.
definivit Christum verbo , & exemplo
docuisse perfectam paupertatem , quæ
consistit in abdicatione omnium re-
rum , nullo sibi relicto dominio , nec
in particulari , nec in communi. In
suis extravagantibus titulo de verbo-
rum significacione in extravaganti ad
conditorem canonum docet , impossibi-
le esse paupertatem , qua quis in
rebus usu consumptilibus abdicet se
omni dominio solo usu retento. Et in
extravaganti cum inter non nullos de-
clarat esse hæreticum dicere Christum
talem paupertatem verbo , & exemplo
docuisse , idem docet , & inculcat in
extravaganti quia quorundam , Joan.
Turrecremata , lib. 2. Summ. cap. 112.
conciliare intentat hos Pontifices. Bel-
larm. hic cap. 14. ingenue fatetur , in
omnibus conciliari non posse.

67 Respondeo, tres quæstiones tractari à Nicolao, & Ioan, 1. in an rebus vnu consumptibilibus, possit separari usus à dominio? Ioan. dicit, non posse separari: quia dominari est posse rem destruere; sed habens usum possit rem destruere comedendo panem, v. gr. ergo. Nicolaus dicit posse separari. Idem docuit postea Clemens V. Clementina exivit de *Paradiso*: Quia dominari non est posse rem destruere vt cumque; sed ubi, & quomodo voluerit, proiecere, donare, vendere: & Religiosi habentes usum panis non possunt illum proiecere, donare, vendere. Ideoque erravit Ioan. sed non in re de fide: quia ut ipse docet, haec res non pertinet ad fidem, & adhuc sunt multi Doctores pro utraque sententia. Secunda quæstio est, an illa paupertas sit sancta, & meritoria? Affirmat bene Nicolaus licet non definierit hoc ut articulum fidei. Negat Ioan. sed non impugnat directè oppositum: quia in extravaganti ad conditorem solum intendit renuntiare dominium reram, quæ dantur Franciscanis, quod ipse potuit facere. Nicolaus dicit, Romanos Pontifices habere tale dominium.

B. Quæstio est : An Christus talem paupertatem verbo , & exemplo docuerit ; hæc pertinet ad fidem ; sed in hac non dissentiant : quia Nicolaus dicit , Christum aliquando eam paupertatem verbo , & exemplo docuisse aliquando paupertatem minus rigidam . Iohannes dicit , esse hæreticum dicere Christum nunquam habuisse quid proprium nec in communione , nec in particulari , quæ duo vere cohærent .

68 Obijc. 8. Alek. IIJ. cap. de *Testamentis* dicit , esse alienum à divinis legibus , & Ecclesiæ consuetudine , ut in testamentis requirantur plures tribus testibus : & in praxi non habentur rata testamenta , nisi adhibeantur septem testes . Idem cap. *Sponsa duorum* dicit , quosdam prædecessores iudicasse , Matrimonium ratum posse dirimi per aliud matrimonium ; tamen contrarium sentire : ergo vel ipse , vel alij errarunt . Resp . Ad primum , vel non ferre legem univeralem ; sed solum pro suis subditis interperantibus , vel si tulit legem univalem , solum intendisse testamenta quæ Ecclesiam , vel causas pias hædem instituunt valere cum tribus testi-

bus; de alijs non locutum fuisse. Ad secundum nec Alexander, nec Prædecessores definierunt; sed probabilitè, quid sentirent docuerunt.

69 Obijc. 9. Greg. IIJ. cuidam viro permisit epistola ad Bonifac. ducere aliam vxorem, si propter morbum propria non valeat reddere debitum, quod est contra Evangelium. Eodem errore notatur Gregor. I. epistol. ad Agust. Anglorum Episcopum. Et cum dicunt, *Si propriæ uxoris* videntur non loqui de infirmitate, quæ antecedenter reddebat impotentem solvendū debitum: quia tunc nullum fuisset matrimonium, nec illa esset propria uxoris. *Resp.* Pontificem ex sua sententia probabilitè locutum, & errasse, quod contingere potest Pontifici. Nec hic est manifestus error contra Evangelium, qui innotescere ante Tridentinum fess. 14. can. 2. quia Evangelium dicit, non posse dimitti propriam uxorem, & ducere alteram. Et Greg. solum docet, in tali casu posse ex licentia propriæ uxoris, non dimittere, sed habere duas ut Abraham, & Aug. lib. 1. de Serm. in montem, cap. 92. de hoc dubitavit,

70 Obijc. 10. Ioan. XXII. docuit; Animas beatorum non visuras Deum ante resurrectionem: quare reprehenditur ab Ochan opere 93. dierum, & ab Adriano quæst. de Confirmatione.

2. De hoc Pontifice dicit Calvinus in institut. lib. 4. cap. 7. docuisse animas esse mortales sicut corpora, easque interire cum corporibus usque ad resurrectionem, quo vnicè probat ponendo imaginem. *Testis Ioan. Gerson qui tunc vivebat.* Respondeo, Ioan. id docuisse ut Doctorem particularem, dum non erat definitum oppositum: voluit illud definire; sed cum adhuc in consultationibus versaretur, mortuus est, ut dicit Benedictus XXII. eius Successor in extravaganti *Benedictus Deus*, ubi definit quod iam est de fide. Imò Ioan. Villan. lib. 11. historiæ cap. 19. dicit Ioan. XXII. pridiè ante mortem testatum, se nunquam de his definit, & tunc probabiliorem iudicare oppositam sententiam. Ad illud Calvini, est mendacium: quia Ioan. XXII. obiit anno 1334. teste Tritemio; & Gerson natus est anno 1353. quomodo ergo tunc vivebat?

71 Obijc. 11. Ioan. XXIIJ. acu-
sa-

satur in Concil. Constance. sess. vii;
 quod negaret vitam futuram, & resur-
 rectionem. *Resp.* In primis cum tunc
 tres essent Papæ Ioan. XXIIJ. Gre-
 gor. XII. & Benedict. XIIIJ. erat Papa
 dubius. Deinde hic error solum pro-
 batur vulgi rumore : præterquam
 Pontifex potest in hæresim incidere,
 & esse Pontifex , donec declaretur hæ-
 reticus. Similitèr Concil. Basiliens.
 pribavita Pontificatu Eugenium IV.
 quod in hæresim inciderit. Sed iam
 diximus , Concil. Basiliens. legitimè
 inchoatam; sed illegitimè terminatum:
 & Eugenius non erravit in fide , vt
 constat ex eodem Concil. Lausanæ
 continuato , vbi irritantur aëta prio-
 ra : & habetur ut verus Pontifex Ni-
 colaus V. Successor Eugenij IV. Simi-
 litèr Innocentius VIIJ. permisit No-
 rvegis celebrare *sine vino* ; sed hoc
 non fuit permettere alium liquorem
 ad consecrationem ; sed solum quod ex
 defectu vini celebraretur ibi sub
 vna specie , quod non erat
 exploratus error.



SECTIO VI.

Quoniam sit de fide Archiepiscopum Toletanum pro tempore sedentem esse verum Episcopum?

72 **H**anc conclusionem propono, non tam decidiendi, quam dubitandi causa. Ex dictis fact. 2. & 3. deduci videtur quod alijs probandum relinquitur esse de fide Archiepiscopum Toletanum pro tempore sedentem esse verum Episcopum. Probatur: De fide est, quod omnis ritè electus est verus Episcopus. Sed moraliter certum est Archiepiscopum pro tempore sedentem esse ritè electum: ergo &c. Probat, min. Ideò est moraliter certum Pontificem sedentem esse ritè electum: quia pacifice acceptatur à Cardinalibus, & à Regnis Catholicis. Sed Archiepiscopus Toletanus pacifice acceptatur à Regnis Catholicis, à Cardinalibus in triplici Consistorio, & à Pontifice eligente, mittente Bullas, & eum tractante, ut Episcopum: ergo est moraliter certum esse ritè ele-

electum. *Explicat.* Si Ecclesia non amplius extenderetur, quam ad Regna ditionis Hispaniæ, ut minus fuit extensa, adhuc esset de fide Pontificem sedenter esse verum Pontificem, & moraliter certum, esse ritè electum per pacificam acceptationem Cardinalium, & Regnorum ditionis Hispaniæ. Sed Archiepiscopus Toletanus acceptatur pacifice à Regnis ditionis Hispaniæ, à Cardinalibus, à Pontifice, & à magna parte Gallitiae, Italiæ, & Germaniæ, sic eum recipiente; ergo est moraliter certum esse ritè electum.

73 Explicari posset 2. De fide est in Ecclesia dari successores Apostolorum, & Discipulorum, adeoque est moraliter certum esse revelatum: & ut plures volunt Episcopi sunt successores Apostolorum, vel ut alij volunt Discipulorum. Sed de nullo datur maior certitudo moralis, quam de Archiepiscopo Toletano: ergo de fide est, &c. *Aliter:* Si constaret certo moraliter non dari alium Episcopum in Ecclesia, esset de fide hunc esse verum Episcopum, & moraliter certum esse ritè electum. Sed tunc non daretur alia acceptatio,

tatio ; quam quæ modo datur : ergo moraliter certum est, esse ritè electum, & de fide est esse verum Episcopum. Eisdem rationib⁹ videtur probari esse de fide, Episcopos de facto sedentes esse veros Episcopos. An verò idem probetur de Dignitatibus Ecclesiasticis, vel de Canonicis , non videtur ita certum. De medijs Sacerdotibus clare videtur non esse de fide , esse veros Sacerdotes ; de Parochis dubitari potest sicut de Canonicis.





DISPUT. IX.

An , & quomodo revelato uno prædicato revelantur cætera , quæ cum illo identificantur : & cum quibus connectitur?

CUM ALIA PRÆDICATA
identificantur cum alijs formaliter:
alia realiter , & virtualiter ; alia so-
lum realiter : cum alijs habeat con-
nectionem , de his omnibus hic agi-
mus.

SECTIO I.

An revelato uno predicato revelentur
in re omnia , quæ realiter , & vir-
tualiter identificantur
cum illo?

In **S**up. ex Philosophia inter
prædicata realiter , & vir-
tualiter identificata , non posse dari
præ-

præcisionem obiectivam, vi cuius cognoscatur vnum, quin cognoscatur aliud realiter, & virtualiter identificatum cum 1. Quamvis enim doctissimi MM. adstruant præcisionem obiectivam inter prædicata realiter, & virtualiter identificata: quia cognosci *animal* non dicit præcisè cognitionem terminari immediate ad *animal*; sed quod detur hæc cognitio *animal*, seu quod cognosens possit reddere rationē de *animali*: quia in communi modo loquendi non dicimur cognoscere id, de quo non possumus reddere rationem. Attamen cum in communi modo loquendi apud nostros, & apud omnes non detur præcilio obiectiva inter prædicata realiter, virtualiter, & ex natura rei identifica ta, poterant propter communem modum loquendi negasse præcisionem obiectivam.

2 Præterquam etiam in communi modo loquendi in nostra lingua dicitur, *Non feci nihil pro nihil feci*, quin ex hoc liceat dicere in rigore loquendo, duas negationes non affirmare. Ideo siquidem, ut ipsi fatentur, cognitio *animal* immediate terminatur ad *rati onale*; & nihil affirmatur de *animali*, quod

quod non verificetur de rationali sa-
tius videtur cum communī loqui , &
dicere per cognitionem *animal* etiam
cognosci rationale.

3 Ideò pro negativa sententia
stant quotquot dicunt inter prædicata
creita realitèr ; & virtualitèr identifi-
cata dari præcisionem obiectivam, qua-
les sunt omnes admittentes distinctio-
nem ex natura rei. Itaque negat Ma-
strius in 3. dist. 6. quæst. 12. art. 2.
Esforcia lib. 3. cap. 8. & sapientis. RR.
Sendin controv. 3. num. 29. Pro af-
firmativa sententia stant communiter
AA nostri, & alij. Et ratio est : quia
obiectum *A*, est revelatum à Deo. Sed
obiectum *A*, est realitèr , & virtuali-
tèr idem cum obiecto *B* : ergo obie-
ctum *B*, est revelatum à Deo : ne veri-
ficientur contradictionia, scilicet , obie-
ctum *A*, esse revelatum, & non esse re-
velatum.

4 Obijc. 1. Ex sapientissimis MM.
Deus reveans omnipotentiam non re-
velat immensitatem realitèr , & virtua-
litèr identificatam cum Omnipotencia;
quia solum revelat , quod significat
hæc vox *Omnipotentia* ; & hæc vox so-
lum significat Omnipotentiam , quia
non

non sunt sinonimæ hæ voces *Omnipo-*
tentia, *immensitas*, sicut hæ, *ensis gla-*
dus. Respondeo, hanc vocem *Omnipo-*
tentia formaliter solum significare
Omnipotentiam; realiter tamen im-
mediate significare omnia praedicata
realiter, & virtualiter identificata
cum *Omnipotentia*; quia hæc vox sub-
stituitur pro hoc conceptu *Omnipo-*
tentia; sed hic conceptus significat reali-
ter immediatè omnia praedicata reali-
ter virtualiter identificata cum *Omnipo-*
tentia, ne verificantur contradic-
ctoria: ergo idem de hac voce *Omnipo-*
tentia. Et hinc patet disparitas ad
illas voces *Gladius*, *ensis*; quia hæc vo-
ces formaliter significant idem, ideo
que sunt sinonimæ; cum autem hæ
Omnipotentia, *immensitas* formaliter
significant distincta, quamvis realiter
significant idem, ideo non sunt si-
nonimæ.

§ Infistis: Deus revelans *Omnipo-*
tentiam solum revelat, quod hæc
vox significat apud audientes: quia
significatio vocis debet esse communis
loquenti, & audiensi; alias audiens
non posse percipere conceptus loquen-
tis. Sed hæc vox *Omnipotensia* solum

Significat apud audientes Omnipotentiā, ut distinctam ab immensitate, & alijs prædicatis: quia audiens solum format conceptum de Omnipotentia, non de immensitate: ergo &c. *Resp.* **Conc.** mai. dist. min. Solum significat formaliter Omnipotentiam, **conc.** min. realiter, neg. min. Et ideo audiens solum format conceptum de Omnipotentia formaliter; hoc est, conceptum sicut tendentem *Omnipotentia existit*: format tamen realiter conceptum de immensitate: quia ille conceptus realiter affirmat immensitatem, et si non formaliter: sicut dicitur communiter in cognitione *animal* respectu *rationalis*. *Infestes*: Etiam gradus genericus, & differentialis identificantur; & tamen cum dico hoc *animal* non possunt concipere differentiam cum animalitate identificatam, scilicet *rationale*: quia hæc vox *animal* non significat idem, ac hæc vox *rationale*, cum non sint synonymæ. *Resp.* Me concipere tunc realiter *rationale*, quamvis non concipiā illud formaliter, id est, sic *rationale*.

6 Adde, hæc ad summum probare, hanc vocem *Omnipotentia* non sig-

significare realiter immensitatem , iustitiam strictam , &c. quando proferuntur ab ignorantे identitatem , seu illam negante : quia tunc forte non haberet intentionem significandi immensitatem , &c. Et ratio esse posset : quia hic posset affirmare de Deo Omnipotenti , & simul negare iustitiam strictam : quomodo ergo per dictum huius affirmantis Omnipotentiam poterat assentiri , Deum habere iustitiam strictam , si per dictum ipsius possum hoc negare ? Ergo hic non habet intentionem significandi per affirmationem *Omnipotentis* iustitiam strictam : Ideoque ex eo quod sit credibile fide humana unum prædicatum , forte non sequitur esse credibile fide humana aliud prædicatum realiter , & virtualiter identificatum cum primo. At verò cum Deus recte sciat identitatem Omnipotentiæ cum iustitia stricta , & reliquis prædicatis , extensionem vocis , & consequenter aptitudinem vocis ad significanda reliqua prædicata , hoc ipso quod revelet Omnipotentiam , revelat reliqua prædicata : Ideoque in Scriptura sunt varij sensus , & omnes veri : quia ut communiter dicunt Interpretes ,

tes, Deus per verba intendit significare quidquid per illa dici potest.

7 Aliqui confundunt hos terminos *esse credibile*, quod est esse revelatum quoad nos; cum his *esse revelatum*: Potest contingere esse revelatum quoad nos, seu esse credibile unum praedicatum, quin sit credibile aliud virtualiter identificatum, quia potest non constare cum morali certitudine identitas universalis illorum praedicatorum, quamvis in re sint ita identificata; at vero si est revelatum unum, debet esse revelatum aliud: Et si constet cum morali certitudine de revelatione unius, & de identitate alterius, utrumque est credibile, de quo sequenti modo enim solum agimus, an revelato uno praedicato, reveletur aliud realiter, & virtualiter identificatum cum primo.

8 Dices: Solum est probabile, quod revelato uno praedicato, revealentur alia virtualiter identificata cum primo etiam quando constat cum morali certitudine de tali identitate: ergo si tunc est credibile fide divina illud praedicatum, & reliqua cum illo identificata, poterunt credi fide divi-

ma , sub iudicio solum probabili de re-
velatione : quod videtur contra de-
cretum Innocentij. Huic obiectioni
facile respondeo dicendo : Per revela-
tionem revelantem Omnipotentiam,
v. gr. esse credibilia fide divina reliqua
prædicata vñiversaliter identificata,
sub expressione *Omnipotentia* : sicut in
simili dicitur in philosophia per cogni-
tionem *animal* cognosci *rationale* sub
hac expressione *animal* : Ita ut solum
possimus dicere de illo esse *animal*, non
verò esse *rationale*.

9 Sed fortè aliquis iudicabit ar-
gumento responderi posse, conc. antec.
neg. conseq. quia tunc datur certitudo
moralis de revelatione *Omnipotentia*;
& quamvis solum datur probabilitas
de eo quod per revelationem *Omnipo-
tentia* reveletur immensitas , &c. pos-
sumus credere propter illam revelatio-
nem immensitatem, cuius identitas cum
Omnipotentia constat cum morali cer-
titudine , quin incidamus in proposi-
tionem damnatam : quia damnatio se-
lum intendit non posse dari assensum
fidei , qui non sit firmus , seu morali-
tèr certus : cum autem assensus ille
circa immensitatem sit moraliter cer-

tus, quia mortaliter certum est, immensitatem identificari cum Omnipotentia. Sed de hoc satis disp. 3. sect. 4. q. 6. Ideò forsitan dicet aliquis posse elicere ab habitu fidei. De hoc sect. seq.

SECTIO II.

An dato, quod per revelationem Omnipotentiae revelentur omnia identificata cum Omnipotentia, revelentur modo quo requiritur ad fidem; vel an ad fidem requiratur, quod formaliter revelentur?

110 **R**equiri, quod formaliter revelentur, affirmant Puente Hurtado disput. 12. quæst. 1. §. 16. Arriaga disp. 6. sect. 1. & sapientiss. MM. Negant Suarez disp. 3. sect. 11. Lugo disp. 1. sect. 13. Oviedo controv. 4. punct. 8. Ojea disp. 5. sect. 9. Placet hæc sententia, quæ sic probatur: Illa revelatio sufficit ad fidem, vi cuius possimus assentiri immensitati, quia dictæ à Deo. Sed si constet immensitatem esse realiter revelatam, et si non formaliter, vi illius revelationis possimus assentiri immensitati, quia dictæ,

dicitur, & revelatae à Deo: ergo sufficit ad fidem, esse moraliter certum immensitatem esse realiter revelatam, & non requiritur esse formaliter revelatam. *Confirm.* Talis assensus esset fidei, quia assentiret immensitati, quia dicta à Deo: siquidem specificatur à motivo fidei; & non alia ratione est assensus fidei, assensus quo credimus Incarnationem; non enim est assensus fidei, quia credimus Incarnationem, quia formaliter dictam à Deo; sed quia dictam à Deo. Sed talis assensus non esset fidei humanæ: ergo esset fidei divinæ. 2. Testimonium Dei connexum cum immensitate, & realiter affirmans immensitatem sufficit ad assentiendum immensitati, quia dicta à Deo, ut videtur patere. Sed hic assensus esset fidei iuxta dicta: ergo ad assensum fidei sufficit immensitatem esse realiter dictam, modo cum morali certitudine constet, esse realiter dictam.

ii Obijc. 1. Revelatio non potest movere fidem, quæ plus formaliter enuntiet, quam ipsa revelatio: ergo non potest credi per fidem prædicatum, quod non sit formaliter revelatum. Prob. ant. Quia alias quantitas repræ-

entativa fidei non esset perfectè , & adæquate commensurata cum revelatione. *Resp.* neg. ant. propter nostras rationes : quia sufficit , quod quantitas repræsentativa fidei adæquetur realiter cum quantitate repræsentativa revelationis ; non verò requiritur , quod adæquetur formaliter : sufficit enim illa adæquatio , vi cuius possimus assentire rei *quia dicta à Deo* : siquidem in hoc tantum consistit essentia fidei.

12 Insistunt sapientis. MM. nullus dicet esse perfectè æqualem fidem illorum , quorum unus , expressè credit Deum esse Omnipotentem,Immensum, &c. Et aliis expressè credit tantum Deum esse Omnipotentem. Idem de revelationibus , quarum una formaliter revelet Deum esse Omnipotentem, Immensum, & è contra , & alia formaliter tantum revelet Deum esse Omnipotentem : ergo non potest dici fidem adæquare perfectè revelationem , si credit formaliter , quod formaliter non est revelatum ; seu nullus dicet esse adæquatas, æquales , & perfectè commensuratas fidem formaliter talem Omnipotentia , Immensitatem, &c. Et revelationem formaliter tantum de Omnipotentia , &

è cont.

ē contra : ergo vt perfectè adæquen-
tur, requiritur , quod vna tendat in id,
in quod formaliter tendit alia.

13 Resp. dist. ant. Nullus dicet
esse perfectè æquales formaliter illas
fides , conc. ant. esse perfectè æquales
realiter , seu quoad numerum credito-
rum, nego antec. vel si velis loqui de
æqualitate in ordine ad meritum ; ali-
ter, dist. ant. Nullus dicet esse æquales,
si credenti formaliter vnum prædicata-
tum , non constet de identitate vni-
versali cum alijs , conc. ant. quia tunc cre-
denti non imputatur fides aliorum; ve-
rum hoc similiter accidit , et si formaliter
identificantur , credenti tamen non
constet illa identificari inter se adhuc
realiter , vt fieri potest iuxta Adversa-
rios : quia identitas rationis iuxta ip-
pos , & iuxta veritatem , est respectiva.
Si constet de identitate aliorum prædi-
catorum cum prædicato formaliter
credo , neg. ant. quia tunc credenti
imputatur fides aliorum prædicatorū:
ideoque æquè merentur per se loquen-
do , nisi per accidens ex majori dura-
tione plus mereantur , qui formaliter
credit omnia prædicata : aut quia viva-
tiores relinquat species fides formaliter

tendentes circa omnia , & singula prædicata, quam circa vnum tantum : tunc enim datur maior extensio formaliter cum formaliter detegantur plures formalitates ; an verò simul detur maior intensio respectu cuiusvis formalitatis, quia clarius eam formaliter repræsenteret, nec est certum, nec facit ad rem.

14. Insistunt z. Revelatio non potest movere fidem , per quam plus formaliter, & extensivè scimus, quam docemur per revelationem ; alias fides erit supra merita revelationis. Sed per fidem , qua credimus Omnipotentiam, & Immensitatem plus formaliter scimus, quam docemur per revelationem formaliter revelantem solum Omnipotentiam : ergo revelatio de Omnipotentia non potest movere fidem de Immensitate. *Resp.* dist. mai. Revelatio non potest movere fidem per quam plus formaliter scimus, quam docemur realiter per revelationem , conc. mai. quam docemur formaliter , nego mai. quia etsi revelatio non dicat formaliter Deum esse Immensum; si formaliter dicit esse Omnipotentem , & nobis constet Immensitatem identificari cum Omnipotentia , nobis constat Deum realiter dicea

dicere, se esse Immensum: hoc autem sufficit, ut credamus esse Immensum, quia ipse dicit,

15 Ideò falsum est voces solum posse movere fidem, quæ sit logicè, & ratiocinatè similis cognitioni, pro qua formaliter substituuntur: quia quamvis per se loquendo non possint movere, nisi fidem ratiocinatè similem, per accidens possunt movere fidem logicè dissimilem, scilicet fidem aliorum prædicatorum, si constet de illorum identitate cum prædicato formaliter revlato.

16 Obijc. Inverisimile est te posse credere existere in foro activitatem immediatam ad actum supernaturalem, memoriam, intellectum, & voluntatem ex vi testimonij hominis dicentis, Petrum esse in foro, etiam si aliundè tibi constet de identitate reali Petri cum illis prædicatis: ergo non sufficit revelationio vnius prædicati ad credenda alia prædicata, etiam si aliundè constet de identitate. Resp. Omissa diversitate inter locutiones Dei, & hominum; & supposito, quod homo revelans Petrum revelet prædicata cum illo identificata, neg. ant. quia ut supra vidimus, cog-

nitio Petrus repræsentat omnia prædicata cum illo identificata; & illæ voces Petrus est in foro realiter substituuntur pro cognitione repræsentante Petrum habere omnia illa prædicata, & consequenter realiter dicuntur talia prædicata: quid ergo mirum quod possimus credere dari talia prædicata in foro propriæ dictum hominis dicentis dari in foro talia prædicata.

17 Insistet. Revelatio de Omnipotentia, et si dicat Immensitatem, eam dicit pùtè physicè, & velut mortuè est, quia per illam non possumus reddere rationem de Immensitate: ergo per revelationem de Omnipotentia non possumus credere Immensitatem. Resp. Verum esse attenta sola revelatione de Omnipotentia, non posse nos reddere rationem de Immensitate; præposita tamen cognitione de identitate Immensitatis cum Omnipotentia iam cognoscimus Deum per revelationem de Omnipotentia dicere realiter Immensitatem: ideoque se habente ut conditione hac notitia, per revelationem de Omnipotentia possumus credere Immensitatem quia dictam à Deo. Alij, ad hæc omnia requirent Deum ut potè incapacē præst-

præscindendi formaliter in cognitione, neque ita præscindere posse in vocibus sit ita. Sed magis placet nostra solutio.

18 Vnde si ex vi revelationis naturæ Divinæ, v. gr. non possimus credere Trinitatem Omnipotentiam, & alia prædicata realiter identificata cum natura Divina; non ideo erit quia non sint revelata realiter, per talem revelationem; sed quia nobis non constat esse revelata: præfertim Trinitas virtualiter distincta à natura Divina; si tamen constaret reliqua prædicata identificari cum natura Divina, & Trinitatem non distingui virtualiter à natura Divina, in ordine ad esse revealatam per talem revelationem, per revelationem de natura Divina possemus credere reliqua prædicata, & Trinitatem. An verò fides, qua credimus dari Deum affirmaret realiter Trinitatem, an non, pendet similiter à questione inquirente, an in ordine ad hanc prædicata distinguatur virtualiter Trinitas à natura Divina. Si non distinguitur, affirmatur realiter Trinitas sub hoc conceptu *datus Deus*: cum quo componitur, affirmantem *datus Deus*, negare posse Deum esse Trium,

& esse hæreticum ; quia etsi affirmet realiter Trinitatem sub hoc conceptu Deus eam negat sub hoc conceptu *Trinus*, sub quo proponitur ab Ecclesia credenda.

SECTIO III.

An revelato fundamento metaphysice connexo cum termino reveletur terminus modo sufficienti ad fidem titulo praeciso connexionis?

19 **I** Am diximus disp. 1. in fine , Deum per revelationem promissoriam , qua revelat animum implendi seu fundamentum conexum cum futuritione rei promissæ, revelare futuritionem rei promissæ, quia revelat ex intentione manifestandi talem futuritionem. Modo inquiri potest ex philosophia. An possit Deus revelare antecedens conexum cum termino , quin revelet terminum modo sufficienti ad fidem. Certum est Deum revelantem antecedens conexum cum termino revelare mediæ, & virtualiter terminum. Item certum est Deum posse revelare antecedens con-

connexum cum termino, quin per eandem revelationem revelet immediate realiter terminum, quia Deus revelans existentiam futuram Antichristi connexam cum Trinitate, non revelat immediate realiter Trinitatem? An vero Deus revelans fundamentum, ut subiectivè connexum cum termino per eandem revelationem revelet necessario terminum, non est ita certum. Affirmant Antonio Perez, Lumbier quest. 7. art. 2. Ojea, & Haunol. Negant Molina, Capreolus, Arriaga, Munies. disp. 3. sect. 8.

20 Pater Izquierdo disp. 23. de Deo, à num. 134. dicit posse dari cognitionem fundamenti, ut subiectivè connexi cum termino, quin per eandem cognitionem cognoscatur terminus, quamvis debeat cognosci per aliam cognitionem. Et ratio est: quia **fundamentum**, ut subiectivè **connexum** cum termino habet diversam veritatem, & cognoscibilitatem ac terminus: ergo potest cognosci per diversam cognitionem ac cognoscitur terminus. Item species impressa ad cognoscendum fundamentum, ut subiectivè connexum cum termino potest esse

non

non solum distincta, sed etiam diversa ab specie impressa, qua cognoscimus terminum. Si hæc vera sint, de quibus modo non disputo, potiori iure dici poterit, posse revelari fundamentum, ut *connexum cum termino*, quin per eandem revelationem reveletur terminus: quia vox substituitur pro conceptu intentionali: & voces distinctæ correspondent distinctis conceptibus obiectivis: & similiter vox explicans fundamentum ut *connexum* accipi poterit, ad explicandum fundamentum, non verò terminum: quia fundamentum, ut subiectivè *connexum*, sicut habet diversam veritatem, & cognoscibilitatem, ita habet diversam significationem ac terminus.

21 Obijc. 1. Ex Antonio Perez, & Haunol. Revelatum, & de fide est, contrarium veritati revelatæ esse falsum. Sed defectus extremorum, & termini est ita contrarius revelationi *unionis*, & *terminis*: ergo per revelationem *unionis*, & *actionis* revelantur extrema, & terminus. *Resp.* dist. mai. Revelatum, & de fide est, *immediatè*, seu *contradictoriè* oppositum veritati revelatæ esse falsum, conc. mai. aliter

ter, sub dist. Per revelationem vniuersalem, qua reveletur vniuersaliter, *Contrarium*. Permitto mai. quia nescio vbi nam sit talis revelatio; per revelationem illam particularem, neg. mai propter nostras rationes.

22 Obijc. 2. Si per revelationem actionis non revelaretur terminus, non esset de fide existentia *Cœli, & Terræ*: ex Gen. 1. quia ibi præcisè revelatur actio, *In principio creavit Deus Cœlum, & Terram*. Resp. Neg. ant. Quia in ipso modo proponendi constat revelari Cœlum: quia non dicitur præcisè quasi in abstracto positam esse creationem Cœli, & Terræ; sed creatum esse Cœlum, & Terram. Itaque revelata actione, esset proxima fidei existentia termini: & esse error negatio termini; non tamen esset de fide existentia termini: alias omne mediata revelatum, ex cuius defectu per consequiam inferretur, defectio rei revelatae, esset de fide: quod est falsum: quia hoc esset confundere conclusiones obiectivas Theologicas cum rebus defide.

23 Obijc. 3. Obiecta revelata sunt in gradu certitudinis obiectivæ superiori ad non revelata; & funda-

mentum , ut connexum cum terminis non est in gradu certitudinis obiectivæ superiori ad terminum : quia quoties est certum existere fundamentum , ut connexum est certum existere terminum : ergo per revelationem , qua revelatur fundamentum , ut connexum revelatur terminus. Hæc obiectio ad summum probat , quando revelatur fundamentum , ut connexum deberi revelari terminum ; non verò probat revelari terminum ; non verò probat revelari per eandem revelationem. Deinde respondeo neg. mai. propter rationes iam datas disp. 3. & propter rationem argumenti.

24 Obijc. 4. Existere fundamentum connexum cum termino sine termino , est chymæra , & revelatur verè existere fundamentum , ut connexum cum termino : ergo revelatur existere cum termino : & consequenter revelatur terminus. *Resp.* conc. mai. & min. neg. conf. quia ex inseparabilibus potest affirmari unum , quin affirmetur aliud : siquidem habet diversam veritatem , & cognoscibilitatem ; aliás qui affirmaret dari Primum , affirmaret dasi Trinitatem , à qua est inseparabilis.

Obijc.

25 Obijc. 5. Si revelatio ita dicere existit *A connexum cum B*, revelaret *B*: quia talis revelatio eadem esset ac hæc *A est coniunctum cum B*. Sed revelatio revelans fundamentum, ut connexum cum termino, revelat connexionem, & dicit existere *A connexum cum B*: ergo realiter revelat *B*.
Resp. dist. mai. Si revelatio formaliter diceret existit *A connexum cum B*, revelaret *B*, conc. mai, quia iuxta consequentem acceptationem id affirmant talia verba formalia. Si realiter diceret existit *A connexum cum B*, subdist. revelatione attingente connexionem subiectivam, & terminativam, conc. mai. revelatione præcisè attingente connexionem subiectivam, neg. mai. & dist. similiter min. neg. conf. Quia potest revelari connexio subiectiva, quin reveletur connexio terminativa: siquidem habet distinctam, & diversam veritatem, & cognoscibilitatem, ac connexio terminativa. Hæc magis sunt philosophica, & metaphysica, quam Theologica.



§. I.

26 Quæstio est, an casu quo per revelationem fundamenti connexi cum termino reveletur tantum *mediatè*, & *virtualiter* terminus, revelato fundamento connexionis, reveletur terminus modo sufficienti ad fidem? Respondeò negativè cum communi sententia, Muniesſa disput. 3. sect. 8. Palanco disput. 1. quæst. 7. Oppositum tenent Molina, & Vazquez. Prob. Ad fidem de existentia *B* requiritur revelatio vera, & propria de existentia *B*. Sed revelatio de existentia *A* non est revelatio vera, & propria de existentia *B*: ergo revelato *A*, non revelatur modo sufficienti ad fidem existentia *B*. Prob. min. Existere *A* connexum cum *B* non est verè, & propriè existere *B*: ergo revelari *A* connexum cum *B* non est verè, & propriè revelari *B*. Explicatur. Revelari *A* connexum cum *B*, solum est revelari *B*, *virtualiter* in ordine ad aliqua munera, & *mediatè*. Sed revelari solum *virtualiter*, in ordine ad aliqua munera, & solum *mediatè*, est im-

impropriè revelari *B* : ergo revelari
A connexum cum *B* est *impropriè*
 revelari *B*. Probat. min. Videri sub-
 stantiam *mediate*, quia videtura cci-
 dens, non est *vere*, & *proprietè* vide-
 ri substantiam, sed *impropriè* : ergo
 revelari *mediatè B*, est *impropriè* re-
 velari *B*.

27 Dices: Si constet de conne-
 xione fundamenti cum termino prop-
 rè testimonium Dei circa existentiam
 fundamenti, possumus assentiri termino:
 ergo revelari fundamentum, est revelari
 terminum modo sufficienti ad fidem.
 Prob. conf. Quia id possumus credere
 fide Divina, cui possumus assentire
 propter testimonium Dei. Resp. conc.
 antec. neg. cons. Ad prob. dist. Id
 possumus credere fide Divina, cui pos-
 sumus assentire propter testimonium
 Dei *dicentis illud*, conc. propter testi-
 monium Dei *dicentis aliquid*, neg. quia
 ad fidem requiritur, quod assentia-
 mus obiecto, *quia dicto à Deo*; & ter-
 mino connexionis possumus assentiri
 ex vi testimonij de existentia funda-
 menti, data notitia connexionis; non
 tamen possumus assentiri termino, quia
 dicto à Deo.

28 Dices 2. Idem habitus attinens veritatem *immediatè* revelatae potest assentiri veritati *virtualiter* in illa contentæ. Prob. Idem lumen gloriarum attingens *primario* essentiam divinam, attingit creaturas *virtualiter* in illa contentas. Idem habitus charitatis attingit Deum propter se, & creaturas propter Deum, in quo *virtualiter* continentur : ergo. Resp. neg. assumptum. *Ad 1. probat.* Conc. antec. neg. cons. quia fides est participatio imperfecta luminis : & non datur fundamentum, ut habitui fidei concedatur virtus adeò extensa, & omnino similis *extensivè* virtuti luminis. *Ad 2.* Conc. ant. neg. conseq. Paritas inter charitatem, & fidem stat in eo, quod sicut per charitatem non solum amamus Deum propter se ; sed etiam creaturas propter Deum ; ita fide non solum credimus existentiam Dei quia dictam à Deo ; sed etiam veritates creatas, quia dictas à Deo : in alijs nequit esse paritas, hoc datur fundamentum ad talém paritatem.

29 Dices 3. Plura sunt *immediatè* de fide, quæ solum sunt *virtualiter*, & *mediatè* revelata : ergo. Prob. antec.

Pla-

Plura definivit Ecclesia , quæ non sunt
immediatè revelata ; sed inferuntur ex
 revelatis. Sed quæ definit Ecclesia sunt
immediatè de fide : ergo. Probat. mai.
 1. Quia Ecclesia definit in Concilijs
 Generalibus. Sed Concilia, cum proce-
 dant examinando , & disputando , di-
 cunt ea , quæ inferuntur ex revelatis:
 ergò. 2. Ecclesia definit contra Mo-
 notolitas dari in Christo duas volunta-
 tes. Sed hoc non est revelatum nisi vir-
 tualiter , & illativè: quatenus revelatum
 est, dari in Christo duas naturas: ergò.
 3. Ecclesia definivit plures Sanctos Ca-
 nonizatos esse in gloria. Sed hoc non
 erat formaliter ; sed solum virtualiter
 revelatum : ergò. 4. Negari nequic
 posse Ecclesiam definire , & facere de
 fide , quod solum est virtualiter reve-
 latum : ergo possunt esse de fide , quæ
 solum sunt virtualiter revelata. Maior
 probat Suarez : quia quando Ecclesia
 definit conclusiones Theologicas , eas
 facit *immediatè* de fide: quia Deus testi-
 ficatur per Ecclesiam , quod Ecclesia
 definit: quia Ecclesia regitur ab Spiritu
 Sancto in suis definitionibus. Et in hoc
 assumpto ait Suarez, non invenire Theo-
 logum contradicentem . 5. Non est

minor authoritas Ecclesiæ , quando definit , quam authoritas Scripturæ . Sed Scriptura facit , quæ continet , *immediatè* de fide : ergo & Ecclesia quando definit.

30 Hæc obiectio tangit multas
Resp. neg. ant. Ad prob. Misso an
definitio Ecclesiæ sit revelatio Dei , vel
solum applicatio revelationis , de quo
postea. Dist. mai. quæ non sunt *imme-
diatè* revelata toti Ecclesiæ , conc. mai.
quæ non sunt revelata Apostolis , nego
mai. Quia Suarez disp. 6. sect. 6. dicit
temerarium esse dicere , aliquid revela-
ri Ecclesiæ , quod non sit prius revela-
tum Apostolis. Et Valencia , & alijs
apud Ripalda disp. 8. sect. 2. dicunt id
esse erroneum ex Ioan. 6. *Cum venerit
ille Spiritus veritatis docebit vos omnem
veritatem.* Ad 1. prob. conc. mai. neg.
min. Quia Concilia inquirunt , an sint
implicitè revelata ; vel aliquibus *expli-
citè* revelata , ut proponatur revelatio
omnibus. Ad 2. conc. mai. neg. min.
Quia id erat *implicitè* revelatum , dum
revelatum est esse duas naturas. Ad 3.
D. Thom. quest. 9. art. vlt. videtur
dicere non esse de fide Pontificem non
posse errare in Canonizatione Sanctorum:

rum: Idem clare docent Div. Anton. 3. part. cit. 12. cap. 8. Caiet. Opusc. de Indulgent. ad Iulium, cap. 8. Canoni lib. 5. de Locis, cap. 5. Boñez 2. 2. quæst. 1. art. 10. dub. 7. dicunt tamen, ita certum esse, errare non posse, ut affirmare, errare posse, sit temerarium, scandalosum, & sapientia heresim. Aliqui dicunt, esse de fide errare non posse. Vide fundamenta utriusque sententiae late apud Castro Palao tom. 1. tract. 4. disp. 1. punct. 5. §. 4.

31 Iam ad 3. Resp. conc. mai. neg. min. Quia revelatum erat formulariter in illa universaliter, Omnis decidens in gratia salvabitur: quod proponit Ecclesia per Canonizationem. Ad 4. Neg. mai. Quia ex dictis Ecclesia non potest revelare, quod non est revelatum. Sed solum infallibiliter proponere testimonio novo quoad modum, quod testimonio antiquo revelatum est. Ad 5. Dist. mai. Non est minor authoritas Ecclesiae, quam Scripturæ; sed in diverso genere, conc. mai. in eodem genere, neg. mai. Ecclesia habet infallibilem authoritatem ad proponenda, quæ continentur in Scriptura, & traditionibus; at vero non revelat ipsa immediate;

Sed proponit, quæ revelata sunt?

32 Idem, quod diximus de Canonizatione Sanctorum, dicendum est de Beatificatione, et si de hoc non loquuntur antiqui; quia licet Ecclesia non proponat Beatum celebrandum per Ministros universalis Ecclesiae; proponit universalis Ecclesiae Beatum celebrandum per Ministros particularis Provinciarum: & ut verius existimo cum Castro Palao tract. 4. disput. 1. punct. 5. §. 4. ligere cuivis Sacerdoti dicere Missam votivam de Beato, qui proponitur celebrandus ab speciali Religione.

33 Dices: Risibilitas proxima, & formalis distinguitur inadiquata ab homine, & solum est terminus connexionis. Per hanc revelationem *Christus est homo* possumus credere esse risibilem proxime, & formaliter: ergo per revelationem revelantem fundamētum possumus credere terminum. *Resp. conc. ant. neg. conf.* quia hæc revelatio *Christus est homo*, non est revelatio risibilitatis præcisè: quia risibilitas est terminus connexionis; seu non est revelatio tantum mediata risibilitatis; sed immedia-
ta, & æquè primo revelat proprietates physicas, ac prædicata essentialia ho-
minis;

minis: quia licet dum loquimur meta physice, haec vox homo solum significet formaliter essentiam metaphysicam; at verò haec vox homo vulgariter loquendo, formaliter, & aqué primo repræsentat proprietates physicas, ac essentiam. Ex hac tamen sola revelatione, non esset hæreticus, qui diceret Christum esse claudum, aut habere alios defectus, qui non opponantur proprietatibus physicis hominis. Vnde si forte esset hæreticus, erit, quia ex alijs locis constat Christum esse perfectum hominem.

34 Imò non esset hæreticus *in re*, & formaliter, qui ex vi præcisè huius revelationis *Christus est homo* negaret risibilitatem formalem Christi: quia non constat cum morali certitudine propter probabilitatem oppositæ sententiæ hanc revelationem revelare risibilitatem formalem; puniretur tamen ut hæreticus sic negans, & esset hæreticus quoad forum externum: quia negans conclusionem deductam ex una præmissa de fide, & altera evidenti, potius præsumitur negare præmissam de fide, quam evidenter: nisi forte negans conclusionem sit ita rudis, ut facile possit errare, & ignorare res alijs evi-

dentes. Fides tamen prohibet dissensum circa risibilitatem formalem; quia cum præcipiat assensum de eo quod Christus sit homo, prohibet quod potest obitare huic assensu, qualiter obstat per se loquendo dissensus circa risibilitatem formalem: itaque dissensionis risibilitati formalis Christi immediate deficeret obligationi negativæ fidei; & illative deficeret obligationi positivæ obliganti ad assentiendum Christum esse hominem. Adverte etiam hanc revelationem non idè revelare formaliter, vel immediate risibilitatem formalem Christi, quia hæc reperitur in Christo ut est in re; sed quia licet hæc sit distincta ab humanitate, communis vñs accipit has voces ad significandum hominem, etiam secundum ptoprietates physicas.

35 Obijc. 1. Si per miraculum deficeret à Christo risibilitas formalis, maneret eadem revelatio *Christus est homo*: quia Christus esset homo, & hæc veritas esset revelabilis: ergo hæc revelatio *Christus est homo* non affimat risibilitatem formalem, seu proximam; alias posset esse falsa. *Resp. neg. mai.* quia revelatio, quæ de facto datur,

reve-

revelat omnes perfectiones, quæ de facto dantur pertinentes ad statum con-naturalem hominis; Dico, quæ de facto dantur, quia non revelat subsisten-tiam creatam pertinentem ad statum con-naturalem; at verò si deficiente ri-sibilitate proxima daretur revelatio, *Christus est homo*, non revelaret perfectiones de facto pertinentes ad statum con-naturalem hominis.

36. Obijc. 2. Ad fidem spectat, quod per revelationem manifestatur esse de mente Dei. Sed per revelatio-nem de fundamento connexo manife-statur, terminum esse de mente Dei; ergo revelato fundamento, ad fidem spectat terminus. *Dist.* mai. ad fidem spectat positivè, quod per revelatio-nem manifestatur esse de mente Dei, *quia dictum*, & interposita authoritate ad illud, conc. mai. quod manife-statur esse de mente Dei non *quia dictum*; sed *illativè*: & *mediatè*, nego mai. & dist. min. nego cons. Solutio constat ex immediate dictis.

37. Obijc. 3. Ad Charitatem Theologicam spectant non solum actus, quibus diligimus obiecta immediate propter divinam bonitatem; sed etiam

quibus diligimus *mediatè* propter di-
vinam bonitatem ; v. gr. ad charitatem
spectat actus , quo gaudemus de amore
Dei propter solam bonitatem amoris
Dei . ergo ad fidem spectat non solum
actus , quibus assentimus *immediatè*
propter divinam revelationem ; sed
etiam quibus assentimus *mediatè* pro-
pter divinam revelationem. *Resp.* neg.
antec. ut dicemus tract. de Charitate:
quia actus specificatur ab obiecto for-
mali attacho. Vnde si actus non attin-
git obiectum formale charitatis , quale
est sola bonitas Dei , non erit actus
charitatis.

SECTIO IV.

*An conclusio legitime deducta ex duabus
premissis revelatis sit de
fide?*

38 **N**on agimus de conclu-
sione formalis , de qua
disp. sequenti; sed solum de conclusio-
ne obiectiva. *Communis Theologorum*
sensus est tale obiectum esse credibile
per fidem, teste Ripalda disp. 8. scilicet 3.
quorum plures explicat , & sequitur
Lugo

Lugo disp. 1. sect. 13. Salmant. disp. 1.
dub. 4. §. 4 Munies. disp. 3. sect. 7.
Salmant. & Palanco disp. 1. quæst. 7.
dicunt, quod si consideretur *ut illata*,
non est de fide; secus si *secundum so-*
Hoc ex se videtur falsum in conclusio-
ne obiectiva. Placet communis senten-
tia. Prob. Hæc conclusio obiectiva est
de fide, Petrus accepit Spiritum San-
ctum; & opposita est hæresis. Sed hæc
est conclusio deducta ex duabus præ-
missis revelatis, scilicet his, Omnes
Apostoli acceperunt Spiritum Sanctum:
Petrus est Apostolus: ergo conclusio ob-
iectiva legitime deducta ex duabus præ-
missis revelatis est de fide. 2 Quoties
constet cum morali certitudine esse re-
velatum unum prædicatum, est de fide
aliud, quod formaliter est idem cum
primo. Sed identitas extremorum cum
tertio perfecte distributo, seu omnino
indivisiibili, formaliter est identitas ex-
tremorum inter se: quia se ipsa ostendit
identitatem extremorum inter se:
ergo si constet cum morali certitudine
esse revelatam identitatem extremo-
rum cum tertio, est de fide identitas
extremorum inter se.

39 Itaque revelatio præmissarum formaliter revelat conclusionem obiectivam, & se ipsa ostendit conclusionem. Quamvis autem identitas extre- morum cum tertio sit formaliter iden- titas extremonrum inter se, non sequi- tur syllogismum esse vitiosum: quia non probatur idem per idem: non enim probatur, Petrum accepisse Spi- ritum Sanctum; per Petrum accepisse Spiritum Sanctum; sed per hanc veri- tatem uno modo cognitam proba- tur eadem alio modo cognita; si- cut non bene probaretur Petrum esse hominem per Petrum esse hominem; bene tamen probatur per esse animal rationale; quamvis formaliter sit idem cum homine. Mitto probationes, qui- bus probavimus revelationem veritatis universalis esse revelationem particula- ris; quia veritas universalis includit tanquam partes formales veritates par- ticulares.

40 Iam diximus supra, quod Theologia, & fides possunt habere idem obiectum materiale, sicut illud possunt habere scientia, & fides. Ita- que qui negaret dictam conclusionem,

ceter

esset hæreticus ; quia talis est negans veritatem *immediate* revelatam ; & talis negatio esset assensus erroris : quia talis est actus negans conclusio nem *legitime* deductam ex revelatis. Constat etiam quod hæc conclusio prout est discursus pertinet ad habitum conclusionis, non ad habitum principiorum ; n verò habitus principiorum possit esse idem cum habitu conclusionis dicemus dissequenti.

§. II.

41 Maior difficultas est circa conclusionem deductam ex vna præmissa de fide , & alia naturali ; an vides licet sit de fide , seu *sufficienter* revelata , prout oportet ad fidem , quamvis non teneamus illam credere : quia non constet *sufficienter* de revelatione ex vi præceptiva Ecclesiæ , *directè* , & *positivè* præcipiente talem assensum. Prima sententia afferit esse de fide. Ita Bellarm. Cano , Tanero disp. 1. quæst. 1. Ojea disp. 5. seft. 9. & alij , quos sequitur Ripald. disp. 8. seft. 3. Oppositum communiter TT. Mastrius disp. 6. quæst. 12. & plures alij , quos sequi-

tur Salmeron disput. 1. dub. 4. §. 4.
 Oviedo contr. 4. punct. 8. Arriaga
 disp. 6. sect. 1. Molina disp. 1. quæst. 1.
 addens , talem conclusionem non esse
 de fide , etiam postquam definita esset
 ab Ecclesia , quod dictum valde mira-
 tur Eximius Suarez. Fundatur tamen
 in eo , quod definitio non est revela-
 tio : vnde si veritas non est aliunde re-
 velata , definitio non reddit eam de fide.

42 Valenc. tom. 3. disput. 1.
 q. 1. dicit dictam conclusionem non
 esse de fide , quando præmissa mai. est
 lumine naturæ nota ; & minor parti-
 cularis est revelata ; secus è contra,
 v. gr. hæc conclusio *Christus habet præ-*
sentiam , dedueta ex his præmissis,
Omnis homo habet presentiam : *Christus*
est homo , non est de fide iuxta Valenc.
 Suarez disp. 11. sect. 3. num 5. & 12.
 Lugo disp. 1. sect. 13. Muniesa disp. 3.
 sect. 7. dicunt conclusionem esse de fi-
 de , quando identificatur cum obiecto
 revelato ; secus quando non identifica-
 tur : Ideoque asserunt si per hanc re-
 velationem , *Christus est homo* , non re-
 velatur risibilitas formalis , & proxi-
 ma , hanc conclusionem , *Christus est*
risi-

risibilis proximè deducta ex his, Omnis homo est proximè risibilis : Christus est homo : non esse de fide.

43 Placer hæc sententia, Probatur. Illud prædicatum est de fide secundum se, quod est revelatum; etsi conclusio identificatur cum præmissa de fide, est revelata; etsi non identificatur, non est revelata, ut constat ex dictis pro utroque extremo: ergo &c. Adde, etsi syllogismus nitatur in connexione, & non in identitate, qualis communiter reputatur hic: *Si existit unio, existunt extrema; existit unio: ergo existunt extrema.* Si conclusio obiectiva esset de fide, qualis esset, si esset revelata mai. teneret etiam nostra conclusio. Rogabis, an detur aliquod discrimen inter sententiam Valenc. & Suarij, & Lugo? Iudico aliquod dari; quia potest contingere quod maior universalis sit lumine naturæ nota, minor revelata, & quod conclusio sit de fide, v. gr. in hoc syllogismo, *Omnis homo est animal rationale; Christus est homo: ergo Christus est animal rationale,* in quo Christum esse animal rationale est de fide, & sola minor est revelata.

Di-

44 Dices : ergo Pontificem habere præsentiam est de fide; Probatur consequentia : Hæc mai. est lumine naturæ nota : *Omnis homo habet præsentiam:* hæc minor est de fide *Pontifex est homo:* ergo &c. *Resp.* primo , neg. conf. & mai. prob. quia probabilis est ex philosophia , hominem posse existere sine præsentia. *Resp.* 2. conc. conseq. quia de fide est Pontificem habere præsentiam ex vi huius revelationis *Pontifex est homo*; quia hæc revelat hominem cum suis proprietatibus physicis, quas de facto habet , quarum una est præsentia.

45 Dices 2. Ex Haunol. sequitur esse de fide , quod ignis applicatus habet concursum Dei ad comburendum : quod ex igne Babylonie constat esse falsum. Prob. assumptum sic, *Omnis causa operans habet concursum Dei.* Sed ignis est causa operans in subiecto applicato : ergo. Vbi maior est de fide; & min. est evidens naturaliter. *Resp.* Neg. assumptum. Ad prob. Maior est vera de causa operante in actu 2. non de causa operante in actu 1. & dist. min. Ignis est causa operans in actu

actu 1: conc. in actu 2, subdist. si non impediatur miraculo, seu si non constet oppositum, conc. si impediatur miraculo, seu constet oppositum, neg. min. & conseq.

45 Rogabis, quid dicendum circa res definitas à Pontifice? An scilicet definitio reddat de fide secundum se res definitas, quia ipsa sit revelatio, vel solum reddat de fide quoad nos, quia definitio solum sit applicatio revelationis? De fide est Pontificem non posse errare in rebus quas definit propter assistentiam specialem Spiritus Sanctus; sed non est idem non posse errare circa aliquam veritatem, ac illam esse de fide: quia Beati non possunt errare, circa res naturales, & eorum dictum non facit res de fide. Suar. disp. 3. sect. 11. num. 8. & sect. 12. num. 11. Ludovicus de Torres disp. 23. dub. 5. dicunt definitionem Pontificis esse revelationem: quia Pontifex est organum, per quod loquitur Deus, sicut olim per Prophetas, & Deum revelare Pontifici, quæ definit. Molin. 1. part. quæst. 1. art. 2. disp. 1. Valenc. disputation. 1. quæst. 1, & plures alij cum Ovie-

Oviedo controv. 4. punct. 9. dictum
 definitionem Papæ non esse revelatio-
 nem ; sed applicationem infallibilem
 revelationis iam factæ. Hoc videtur
 verius : quia ut diximus, Doctores fre-
 quenter afferunt, à tempore Apostolo-
 rum non creuisse mysteria quoad
 se, seu secundum se; et si aliqua
 creverint quoad nos,



(JESUS)

DISPUT. X.

Utrum fides Divina possit
esse discursiva?

Discursus alius est formalis, alius virtualis: formalis dicit duos actus, si fuerit enim membra; & tres si fuerit syllogismus; priores dicuntur præmissæ, tertius conclusio virtualis est actus indivisibilis, qui assentitur obiecto materiali propter aliud, quod sit obiectum formale: ut hic actus, *Petrus est animal; quia est homo;* & *omnis homo est animal,* qui æquivaleret huic discursui formalis.

Omnis homo est animal: Petrus est homo: ergo Petrus est animal.

SECTIO I.

*An fides Divina possit esse virtu-
tualiter discursiva?*

1 **E**X dictis in proœmio constat, quod est apud AA. circa discursum virtualem. Lugo disp. 1. num. 76. Mastrius in tertium disp. 6. num. 70. dicunt omnem actum credendi esse discursum virtualem. Ferse quæst. 2. §. 6. Conine disp. 7. oppositum tenent. Ripald. disp. 13. sect. 2. dicit actum credendi attingentem intrinsecè obiectum formale esse discursum virtualem, secus actus attin- gentes non intrinsecè obiectum for- male.

2 In hoc dubio loquar cum dis-
tinctione, in primis certum debet es-
se actum, quo assentimur (non dico,
quo credimus authoritati, aut revela-
tioni propter ipsas) non esse discur-
sum virtualem, quia talis assensus non
assentitur vni obiecto propter aliud,
adhuc ratione ratiocionata distinctum.
Item cum aliunde supponamus contra
Ripalda disp. citata, omnem actum
cre

credendi intrinsecè attingere obiectum formale, ex hac suppositione certum debet esse, omnem actum credendi esse discursum virtualem, quia hoc est moveri ex alio obiecto distincto: an verò omnes actus credendi debeant esse discursus virtualis, quoad hoc quod est habere idem obiectum materiale, & formale, ac discursus formalis; vel debeat esse discursus formalis sic tendens, *quidquid Deus dicit, est verum: Deus dicit Incarnationem: erga est vera.* Pendet à quæstione inquirente: An fides possit esse discursiva formaliter, quia negantes idèò præcipue negant, quia discursus formalis debet habere aliud obiectum formale præter obiectum formale fidei: & concedentes idèò concedunt, quia dicunt præfatum discursum solum habere pro obiecto formali obiectum formale fidei.

3 Circa discursum formalem negant esse possibilem fidei divinæ, Suar. disp. 6. dub. 4. sect. 4. Granados tr. 9. disput. 1. Coninc disp. 9. dub. 7. P. Mæratius disp. 9. Ferre supra jam citatus. Ovied. contr. 2. punct. 8. §. 3. Salmant. disp. 1. à num. 122.

Palanco disput. 5. quæst. 3. Eamque supponit Doct. D. Eusebius de los Rios disp. 1. vbi latè docet fidem debere esse liberam quoad exercitium, & quoad speciem. Affirmant Vazquez 1. part. quæst. 1. disp. 5. num. 5. Lugo disp. 7. sect. 1. Ripalda dub. 13. sect. 3. Munies. disp. 2. sect. 2. In hac quæstione censeo, esse loquendum cum distinctione de entimemate, & de syllogismo; idèò ante solutionem quæstionis.

4 Sup. 1. Entimema prout distinctum à syllogismo esse discursum formalem. 1. Quia ab Aristotele numeratur inter discursus formales, cum sit vnum ex membris dividentibus argumentationem. 2. Quia discursus est transitus ab uno actu in aliud: & hic invenitur in entimemate. 3. Quia rectè arguitur à causa connexa cum effectu ad effectum, & ab effectu ad causam, adhuc non sub intellecta maiori propositione, siquidem ad assentendum existere extrema, sufficit existere vniōnem connexam cum extremis; et si nesciamus, an omnis vnio connectatur cum extremis. Itaque hic modus argundi est legitimus, et si non concludat ratione formæ. Quod autem enti-

mema

memoria communiter dicatur syllogismus truncatus, solum probat, entimema esse equivalenter syllogismum quoad aliqua, quatenus si extremis positibus positis in entimemate addatur maiorum propositio concludet in recto syllogismo, seu ratione formæ.

5 Sup. 2. cum Oviedo controv. 2. punct. 8. diversitatem in hac quæstione maximè pendere à diversitate in assignando obiecto formalis conclusionis: quia Suarez, Granados, & Coninc sup. ideo negant discursum formalem in fidē, quia iudicant obiectum formale conclusionis esse veritatem formalem præmissarum, quæ inadæquate distinguuntur ab obiecto formalis fidei cum involvat actus intellectus præmissarum, quod inde suadent: quia obiectum formale conclusionis necessitat saltem quoad speciem ad conclusionem, cum autem veritas obiectiva præmissarum, quæ sœpè est probabilis, non videatur ita necessitare; sequitur, quod obiectum formale conclusionis sic necessitans, sit veritas formalis præmissarum. Verum cum ex communi Philosophorum, constet obiectum formale conclusionis esse veritatem obiectivam præ-

missarum : quia hæc est quæ dicit connexionem logicam , aut metaphysicam cum veritate conclusionis ; & consequenter , quæ sufficit ad movendum , & necessitandum quoad speciem , præcedentibus tanquam conditionibus præmissis formalibus , sicut assensus revelationi necessitat quoad speciem , seu ad non dissentendum mysterio , se habente solum ut conditione , aut circumstantia cognitione revelationis : & divina bonitas visa necessitat ad amorem , se habente ut conditione visione ; hinc est , quod ratio assignata non probat defectum discursus in fide . *Explicat.*
 Demus assensum præmissarum necessitare ad assensum conclusionis ; ex hoc non probatur assensum præmissarum esse obiectum formale cōclusionis : quia visio Dei necessitat , & movet , & non est obiectum formale amoris : intentio finis necessitat ad electionem medium , & non est obiectum formale electionis : ergo assensus præmissarum poterit necessitare ad assensum conclusionis , quin sit ratio formalis ; sed solum ratio causalis (sicut intentio , & visio) evidentè quoad nos proponens veritatem illatam .

6 Sup. 3. Discursum posse esse supernaturalem: si enim apprehensio, & iudicium possunt esse supernatura- lia, cur non poterit esse supernaturalis discursus? Imò discursus ille erit super- naturalis, qui essentialiter supponat unam præmissam supernaturalem, quia illud principium conclusio sequitur de- biliorem partem, intelligendum est de his perfectionibus, quas conclusio ac- cipit ab obiecto; non de his, quas acci- pit à principio, vel quasi principio: imò D. Thom. docet, scientiam infu- sam animæ Christi supernaturalem pos- se elicere discursum utique supernatu- ralem: sic ait 3. part. quæst. 11. art. 3. Scientia indica anima Christi poterat es- se collectiva, & discursiva: poterat enim ex uno aliud concludere, ut sibi placebat. Ideò concludit art. 1. Scientiam Chri- sti quoad modum cognoscendi esse inferio- rem scientia Angeli.

7 Sup. 4. Actus specie physica di-
stinctos posse elici ab eodem habitu, &
ab eadem virtute, sic ab eodem habitu
charitatis possunt oriri simplex com-
placentia, & amor efficax: ab eodem
habitu fidei possunt oriri assensus au-
thoritati, & revelationi proprie se ip-

fas, qui non sunt actus credendi, & actus credendi mysterijs: adeoque ex hoc capite non repugnat habitum fidei elicere actus qui sunt essentialiter discursus, & actus qui non sunt discursus,

SECTIO II.

Fides potest esse formaliter discursiva per entitatem.

8 **P**rob. Hic est discursus formalis, Deus dicit Incarnationem existere: ergo Incarnationis existit. Sed fides potest elicere hos duos actus: ergo & potest elicere discursum formaliter per entitatem. Prob. min. Recte possunt elici à fide actus, qui possunt moveri, & qui solum moventur ex motivo fidei. Sed hi actus solum moventur ex motivo fidei, quia moventur ex Deo revelante: ergo. *Explicat.* Fides humana potest elicere hunc discursum, Petrus dicit dari Romam: ergo datur Roma. Item fides naturalis potest elicere hunc discursum, Deus dicit dari Incarnationem: ergo datur Incarnationis: ergo fides supernaturalis divina potest illum elicere. 2. Charitas non solum

po-

poteſt amare per vnicum actum finem,
& media; ſed etiam poteſt amare prius
finem, & poſteā media propter finem:
ergo fides non ſolum poterit ferri ſi-
mul in obiectum formale, & materia-
le; ita *Incarnationis* exiſtit, quia Deus di-
cit *Incarnationem* exiſtere: Sed etiam
poterit ferri prius in obiectum forma-
le ſic: *Deus dicit Incarnationem exiſte-
re*, & poſteā in obiectum materiale ſic:
ergo *Incarnationis* exiſtit. 3. Iuxta Div.
Thom. ſupra, ſcientia iuſuſa Christi
poteſt eſſe diſcurſiva: ergo & fidet
Sed non aliēr quam per entimema, ut
dicimus: ergo per entimema poteſt
eſſe diſcurſiva.

9 Dices: Verum eſſe ex authori-
tate, & revelatione, ut connexis cum
Incarnatione poſſe moveri conſluſio-
nem formalem: hoc tame n probat tan-
tem affenſum non eſſe actum credendi,
quia non moventur ex ſolo motivo fi-
dei: ſiquidem moventur ex connexio-
ne revelationis cum Incarnatione, quæ
inadæquatè identificatur cum Incar-
natione. Contra. Verum eſt relatio-
nem prædicamentalem revelationis, &
Incarnationis identificari cum utraq[ue]
connexio autem ſubiectiva, & relatio
traſ-

transcendentalis adæquate identificatur cum revelatione, & authoritate: si quidem se solis habent connexionem cum termino, & non possunt existere sine termino: ad modum quo actus fidei se solo connectitur cum mysterio; & visio intuitiva cum Deo: sic à connexione transcendentali sola, & non ab existentia Incarnationis moveret conclusio: ergo *Incarnatio existit*: sic quando sine discursu credimus Incarnationem, quia dicitur à Deo; assensus movetur à connexione transcendentali identificata cum authoritate, & revelatione, & non ab Incarnatione: aliás non esset actus credendi. *Confirm.* Illa conclusio formalis movetur à connexione cum Incarnatione; sed authoritas, & revelatio se solis sunt connexio cum Incarnatione: ergo ab illis solis movetur illa conclusio formalis. *Prob. min.* Authoritas, & revelatio sunt se solis determinatae, ut Incarnatio existat, sicut dicitur: ergo se solis sunt connexæ cum Incarnatione: quia connexio unius cum alio, nihil aliud est, quam determinatio ad non existendum sine alio: ergo &c.

SECTIO IIJ.

*An fides Divina possit esse formaliter,
discursiva per syllogismos: &
idem de fide naturali, &
humana?*

io **S**apientissimi MM. & Mu-
nies. disp. 2. iect. 2. di-
cunt fidem non esse discursivam in om-
ni syllogismo; sed solum in illo, in quo
in præmissis continetur authoritas, &
revelatio, scilicet in hoc, *Quidquid Deus dicit est verum. Deus dicit Incarnationem: ergo est vera: Reliqui*
Authores supra relati negantes fidem
supernaturalem divinam esse discursi-
vam affirmant de fide naturali, & hu-
mana; qua consequentia alij viderint.
Fortè disparitatem invenient in ratio-
nibus, quibus probant fidem supernatu-
ralem divinam non esse discursivam,
quas modo proponam & claritatis gra-
tia dicunt hunc discursum, *quidquid Deus dicit est verum: Deus dicit Incarnationem: ergo Incarnatio est vera, non esse actum fidei Divinæ.*

ii Suarez, Terres, & Mærat.
sic

Hæc probant. Vnus actus fidei non est certior alio : sed si fides esset discursiva vñus actus fidei esset certior alio : ergo. Prob. min. In dicto syllogismo maior , & min. sunt certiores conclusione , iuxta illud axioma , *Propter quod unumquodque ratiæ , & illud magis.* Hæc probatio continet explicationem axiomatis omnia versantis , & omnia confundentis. Ideoque placet propone-re eius intelligentiam. Oviedo dicit hoc axioma solum habere locum in actibus voluntatis , non verò in actibus intellectus. Verum si intellectus potest assentiri obiecto materiali propter formale , quin magis appetiet obiectum formale , quam materiale , cur non idem accidet in actibus voluntatis ? Vel è contra. Si voluntas non potest amare obiectum materiale propter formale , quin magis appetiet obiectum formale propter materiale , cur non idem accidet in actibus intellectus ? Item iusti odio habent peccatum propter Deum ; & Deus per hunc actum non est magis odio habitus : ergo adhuc non intelligitur hoc axioma in actibus voluntatis. Ferre dicit hoc axioma non habere locum in his

his quæ consistunt in indivisibili: certitudo autem fidei, ut potè summa consistit in indivisibili, sicut & eius veritas: ideoque sicut præmissæ non sunt veriores conclusiones, ita præmissæ fidei non sunt certiores conclusiones. Hæc explicatio supponit certitudinem fidei in quovis actu esse summam, quod probare debebat, quia certitudo in genere loquendo, etiam iuxta ipsum admittit magis, & minus: & consequenter si amplius non explicetur, non bene intelligitur hæc explicatio.

12 Ripalda, ad rem præsentem explicans hoc axioma dicit, esse distinguendam certitudinem desumptam ex imperio, quæ vocatur subiectiva, est claritas actus, & hæc potest esse inæqualis in actibus fidei: quia licet omnis actus fidei sit moraliter certus, intra hanc sphæram cadit, quod unum obiectum clarius proponatur alio, & est distinguenda certitudo desumpta ex obiecto; & hæc est æqualis in omnibus actibus fidei: quia si certum est obiectum formale non posse existere sine materiali, tam certum est existere obiectum materiale, quam formale. Est distinguenda certitudo desumpta ex

princ.

principio ; & hæc etiam est æqualis in omnibus actibus fidei ; & iuxta nos in omnibus actibus supernaturalibus, quia principium physicum nempè habitus non potest influere in actum falsum. Propter hanc ultimam certitudinem , certior est assensus , quo credimus existere Deum , quam assensus quo idem credit hæreticus , si hic non elicatur ab auxilio supernaturali transeunte. Missa hac doctrina ut generalius explicitur hoc axioma.

13. Iudico : hoc axioma generaliter , & absolute sumptum esse falsum: quia Iustus est amicus Dei propter gratiam , & gratia neque est magis amica , neque amica: paries est albus propter albedinem : & albedo neque est magis alba , neque alba. Unde hoc axioma ad summum potest esse verum in illis denominationibus , quæ participari possint à formis. Verum neque in his est absolute verum sine explicatione: quia Petrus est præsens per præsenciam , & præsentia non est magis præsens , quam Petrus: Petrus durat per durationem , & duratio non magis durat quam Petrus , & sic de alijs. Ideo istud axioma ad summum intelligendum

dum est non de excessu quantitativo, qui non est maior in forma denominante, quam in subiecto denominato, ut patet exemplis relatis; sed de qualitativo, hoc est, forma denominans perfectius, & strictius participat denominationem, cuius est capax, quam subiectum denominatum: quia forma participat denominationem per identitatem, & ratione sui; & subiectum ratione formæ, & per unionem. Vnde si ex præmissis naturalibus oriatur conclusio supernaturalis, ut possibile censet Eximus Suarez, conclusio continetur in eis præmissis: verum cum iudicium spirituale non possit oriri ex apprehensione materiali: neque assensus supernaturalis voluntatis ex cognitione naturali; fortè verius est conclusionem supernaturalem non posse oriri ex præmissis naturalibus, quia præmissæ se habent ad conclusionem, sicut apprehensio ad iudicium; & cognitio ad actum voluntatis.

14 Prob. 2. Suarez. Si esset possibilis assensus fidei discursivus, darentur processus infinitus assensuum: quia obiecto conclusionis assentimur propter præmissas; præmissis assentimur, quia

quia dictis à Deo , in quo continetur discursus virtualis : & consequenter dabitur processio infinita assensuum , quorum alij ex alijs moveantur. Verum cum obiecto præmissarum assentimur propter ipsum , & non quia dictum à Deo: hæc ratio vim non habet. Prob. 3. cum Coninc. Assensus illatus , seu conclusio movetur ex illatione obiectiva. Sed illatio obiectiva , ut potest consistens in conformitate cum regulis logicæ est distincta à motivo fidei : ergo assensus illatus non movetur adæquatè ex motivo fidei. Verum conclusio non movetur ex conformitate adæquata cum regulis logicæ , quæ conformitas includit inadæquatè regulas logicæ ; sed solum ex conformitate inadæquata consistente in connexione antecedentis cum consequenti. Quod inde patet , quia rusticus ex fumo inferri ignem : ex defectu aquarum sterilitatem anni absque cognitione regularum logicæ . Et quidem si sola connexionio antecedentis cum consequenti movere potest extra discursum , cur non poterit movere intra discursum ? Deinde ipsi fatentur assensum fidei humanæ discursivam moveri ex tali connexione absque

absque advertentia ad regulas logicæ, seu non ingrediente tanquam motivi conformatio[n]e adæquata cum regulis logicæ: & in eodem sensu descendunt est conclusionem moveri ex antecedenti, ut legitimè inferenti consequens.

15 Probat Arrubal conclusionem: Assensus authoritatis, & revelationis necessario est assensus obiecti revelati, & consequenter non potest dari discursus, qui dicit distinctionem actuum. Prob. ant. Quia potentia visiva eodem actu videt lucem, & colorem: autoritas autem, & revelatio se habent, ut lux respectu obiecti revelati. Confirm. Si fides posset dividi in tres actus, alium attingentem immediate authoritatem, alium revelationem, & alium mystrium, poterit dividi in alium quartum attin gentem immediatè existētiam Dei, quæ affirmatur, dum affirmatur autoritas: existentia autem Dei solum potest cognosci mediatè, nempè ex creaturis. Hæc ratio probat, nullum posse dari discursum: & dato quod lux non possit videri, quin per eandem visionem videatur color. Izquierd. disp. 23. de Deo, quest. 7. iudicat posse attingā

antecedens , ut relatum ad terminum ,
 quin per eandem cognitionem attinga-
 tur terminus : quia illa relatio habet
 virtutem , & cognoscibilitatem distin-
 ctam à termino ; & dato , quod per cog-
 nitionem obiecti formalis attingatur
 obiectum materiale , datur locus discur-
 sui attingenti alia expressione obiec-
 tum materiale propter formale . Con-
 firmatio supponit existentiam Dei non
 esse per se notam , quod plures negant .
 Sed hoc dato posset dari assensus imme-
 diatè attingens existentiam Dei prop-
 ter ipsam iam apparentem ex creaturis ,
 sicut datur assensus revelationis prop-
 ter ipsam apparentem per argumenta
 credibilitatis : assensus tamen existentiaz
 Dei propter se ipsam non esset fidei , si
 Deitas non sit obiectum formale fidei .

16 Ferre , & Salmanticenses pro-
 bant conclusionem dicentes syllogis-
 mum , de quo est quæstio , non esse pro-
 priè discursum , neque propriam illa-
 tionem : quia discursus dicit motum in-
 tellectus à principio ad effectus , vel ab
 effectibus ad principium , ubi vera illa-
 tio invenitur , quæ est cognitio specie
 distincta , & adquisitiva veritatis novæ ,
 & diversæ à veritate præmissorum .

Præ-

Præfatus autem syllogismus, est ad modum syllogismorum, ex quibus ex unius versali inferuntur particularia, qui dicuntur syllogismi explicatorijs, eo quod explicent veritatem affirmatam in præmissis; non vero sunt illativi, quia non inferunt veritatem novam. Hæc ratio supponit fidem posse facere perfectum syllogismum, quales sunt syllogismi explicativi; nempe omnes syllogismi facti in *Barbara*; & alijs; unde negare fidem esse discursivam, est facere novam quæstionem, & purè philosophicam: an scilicet syllogismi explicativi, quales sunt facti in *Barbara*, & *Darij*, sint propriè discursus? Et an argumentatio à definito ad definitionem sic propriè discursus, cum non inferatur nova veritas? Præterquam quod veritas absoluta contenta in conclusione sufficienter videtur distincta à veritate conditionali, & purificatione conditionis, quam dicunt contineri in præmissis. Deinde falsum supponit, solum discurri rectè à causa ad effectum, & è contra, cum rectè discurratur à quovis antecedenti conexo cum termino ad terminum, etsi non sit principium neque effectus illius. Quibus omissis,

17 Probat Palanco, implicat fidem
esse discursivam in aliquibus actibus, &
in alijs non discursivam: quia idem ha-
bitus non potest esse discursivus, & non
discursivus. Sed fides in aliquibus acti-
bus non est discursiva: ergo in nullo.
Prob. mai. Non alia ratione lumen
principiorum ab habitus scientiarum,
& habitus fidei ab habitu Theologiz,
nisi quia lumen principiorum est intel-
lectivum sine discursu, & similiter ha-
bitus fidei, & è contra. Hæc non vr-
gent: quia idem habitus potest facere
actus valdè diversos ex modo tenden-
di, potest facere actus complexos, &
incomplexos; potest facere complacen-
tiam, amorem, & gaudium. Habitus
dantur ad actus frequentes habentes
diversa motiva: ideo datur habitus
Theologiæ ad actus habentes pro moti-
vo vnam, aut duas præmissas revelatas;
& habitus fidei ad actus habentes pro
motivo authoritatem, & revelationem;
similiter accidit in lumine principio-
rum, & habitibus scientiarum, quæ di-
versa sunt: quia habent diversa motivas;
ideo, ut hæc ratio teneat debet proba-
re discursum debere habere diversum
motivum ab authoritate, & revela-
tione,

tione; quod est motivum habitus fidei;

18 Prob. 2. Quia actus fidei debet esse obsequiosus. Sed discursus non est obsequiosus, quia ad eum necessitatatur intellectus per præmissas: ergo. Neque hæc vrget: 1. Quia, ut dicemus disp. vlt. non est de ratione actus fidei, quod sit obsequiosus. 2. Quia si præmissæ solum necessitent quoad speciem, id est, ad non negandam consequens, ut plures dicunt, est obsequiosus discursus, quia potest omitti. 3. Quia et si necessitent quoad exercitium, potest dici obsequiosus in causa, sicut actio externa, & actus imperatus est obsequiosus.

19 Dico: Si lēm non esse discursivam in prædicto syllegismo, neque in similibus, ab obiecto formalī ad materiale distinctum à formalī fidei. Probari potest sic: Conclusio huius syllogismi, *Quidquid Deus dicit est verum: Deus dicit Incarnationem: ergo Incarnatio est vera.* Nititur in principio dicit de omni. Vel: *Quæ sunt eadem vni tertie sunt eadem inter se.* Sed hæc principia, & eorum veritas distinguuntur ab autoritate, & revelatione, & consequenter à motivo fidei: ergo conclusio n*isi*

titur motivo distincto à motivo fidei,
 & consequenter non elicitur à fide. Sed
 ut caveam solutionem, qua respondent,
 dictam conclusionem nisi in illis prin-
 cipijs sumptis non secundum totam
 suam latitudinem, qua ratione distin-
 guuntur inadæquate ab authoritate, &
 revelatione; sed ut *contractis*, ad autho-
 ritatem, & revelationem, quia ut sic
contracta satis inferunt conclusionem.

SECTIO IV.

*Fides nequit esse discursiva per syllogis-
 mos, in quibus ab obiecto formalí fidei
 arguitur ad materiale distin-
 ctum ab obiecto formalí
 fidei.*

20 **P**robatur cavendo dictam
 solutionem. Hæc con-
 clusio, *Ergo Incarnatio existit*, nititur
 identitati obiecti conclusionis, nempe
 Incarnationis cum subiecto communi
 maioris propositionis, *Quidquid Dens
 dicit est verum*. Sed subiectum est com-
 mune, *Quidquid Dens dicit est verum*,
 & hæc identitas distinguitur ab autho-
 ritate, & revelatione: ergo hæc con-
 clusio

clusio nititur motivo distincto ab authoritate, & revelatione. Prima conclusio nititur illo principio *dici de omni*, quod sic explicatur, quidquid affirmatur de subiecto communi distributivè accepto, debet affirmari de singularibus titulo identitatis, quam habet cum subiecto communi: ergo conclusio nititur identitati assignatae. *Clarini.* Conclusio illo principio nititur, que sunt *eadem uni serius sunt eadem inter se.* Nunc sic. Hæc conclusio *Incarnatio est existens* includit identitatem extremonum inter se ex via identitatis, quam habeat cum illo tertio, *Omne revelatum à Deo* Sed omne revelatum à Deo est identitas cum illo, & quid distinctum ab authoritate, & revelatione: ergo conclusio nititur motivo distincto ab authoritate, & revelatione. Minor patet: *Quia omne revelatum à Deo*, includit Incarnationem, & alia distincta ab authoritate, & revelatione.

21. Confirm. Aliqui syllogismi nisi sint in unione identitatis cum uno tertio: seu in unione coexistentiae, seu inconnexione, ut vult Ripalda, & sic formo argumentum. Hæc conclusio

Incarnatio est existens nimirum in coexistētia horum extēmorum *Incarnatio: existens*, cum illo tertio, *omne revelatum à Deo*: Sed coexistentia horum extēmorum cum revelatione distinguitur ab authoritate, & revelatione, quia inadēquate identificatur cum ipsis extēmis: ergo hæc conclusio nimirum motivo distincto ab authoritate & revelatione. In hoc syllogismo, *Omne album est corporeum: Nix est alba: ergo nix est corporeā*. Motivum conclusionis non est sola albedo, quæ se habet ut forma; sed identitas vel si mavis, coexistentia nivis, & corporei cum subiecto albo: ergo in hoc syllogismo, *Omne revelatum est existens, &c.* Motivum conclusionis non est sola revelatio, quæ se habet, ut forma respectu *omne revelatum*; Sed identitas, vel si mavis coexistentia *Incarnationis*, & existentis: cum illo subiecto *omne revelatum*.

22 Clariūs, & brevius probatur conclusio. Obiectum formale huius conclusionis *Incarnatio existit*, sicut, & cuīvis alterius est veritas formalis præmissarum, ut aliqui volunt; vel veritas obiectiva præmissarum, ut cum

cum communi volumus: Sed veritas formalis præmissarum, utpote includens assensum intellectus distinguitur ab authoritate, & revelatione; & veritas obiectiva etiam distinguitur ab authoritate, & revelatione: ergo motivum conclusionum distinguitur ab authoritate, & revelatione. Prob. min. Veritas obiectiva præmissarum includit non solum medium, sed etiam extremitates: quia includit subiectum, & prædicatum, ut patet. Sed extremitates sunt distinctæ ab authoritate, & revelatione: quia sunt *Incarnatio*, & *existens*: ergo.

23 Dices ex SS. MM. hoc esse contra suppositionem: quia hæc quaestio supponit, quod in præmissis solum attingitur authoritas, & revelatio; & consequenter moveri ex veritate præmissarum erit moveri ex motivo fidei. Dicere autem quod in præmissis datur aliud obiectum videtur contra suppositionem. Contia. Hi MM. duo dicunt; dicunt quod in prefato syllogismo solum attingitur motivum fidei in præmissis, & hoc esse falsum, contendimus nostris rationibus. Dicunt etiam, quod quaestio procedit,

casu quo in præmissis attingatur motivum fidei solum ; verum cum ipsi apponant pro exemplo præfatum syllogismum , cum de huius conclusione probaverimus habere motivum distinctum à motivo fidei , nos non destruimus suppositionem ; sed impugnando conclusionem probamus suppositionem esse falsam ; siveque arguimus. Iuxta vos si aliquis discursus elicetur à fide , esset prædictus discursus. Sed hic non elicetur à fide : ergo nullus discursus per syllogismos in quibus arguatur ab obiecto formaliter ad materiale distinctum à formaliter fidei elicetur à fide.

SECTIO V.

Solvuntur obiectiones.

24

Obijc. 1. Hic actus indi-
visibilis, Existit Incar-
natio , quia Deus dicit , & quidquid
Deus dicit est verum elicetur à fide &
solum habet pro obiecto formaliter mo-
tivum fidei : Sed hic assensus habet
idem obiectum , ac illi tres quidquid
Deus dicit existit : Deus dicit Incarna-

tionem : ergo *Incarnatio existit* : ergo
hi tres actus eliciuntur à fide ; quia non
habent obiectum formale distinctum à
motivo fidei. *Resp.* Verum esse hunc
actum esse elicium à fide , habere idem
objec̄tum ac ille tertius , negamus ta-
men illos tres , nempè illam conclusio-
nem esse de fide. Ratio disparitatis est :
quia hic actus indivisibilis non move-
tur à sola veritate , quam attingit , alijs
moveatur ab existentia Incarnationis ,
quod & Adversarij negant : & casu
quo moveatur à veritate , quam attin-
git , non est necessarium , quod mo-
veatur ex tota veritate attacta per ip-
sum , ut sic tendente : *Quidquid Deus
dicit existit* siquidem in sola authori-
tate , & revelatione , utpote connexis
habet sufficiens motivum ad assentien-
dum existentię Incarnationis. Ad modū
quo nos dicimus , quod obiectum for-
male illius maioris , *quidquid Deus di-
cit existit* , est sola authoritas , & non
tota veritas attacta per illam ; nempè
omne obiectum dicibile : quia tamen iu-
dicamus hoc obiectum materiale maio-
ris propositionis , utpote constituens
veritatem majoris præmissæ esse obie-
ctum formale conclusionis ; ideo dici-
mus ,

mus, illam conclusionem non elicere à fide, quia habet obiectum formale necessarium distinctum a motivo fidei; quia conclusio, ut talis, non potest appretiare tanquam motivum sufficiens solam authoritatem, & revelationem.

25. Obijc. 2. Quis neget autoritatem, & revelationem, utpote conexas cum mysterio, esse sufficiens medium ad probandum existentiam mysterij. Sed hoc medium reducitur ad proxim in hoc syllogismo, *quidquid Deus dicit est verum*, &c. Saltus elicto à principio distincto ab habitu fidei: ergo etiam reduci debet ad proxim in hoc syllogismo elicto ab habitu fidei. Prob. conf. Eo ipso quod autoritas, & revelatio sit medium, conclusio unice movetur ex premissis, quia unice movetur ex medio. Sed si unice movetur ex autoritate, & revelacione elicitur à fide: ergo conclusio, &c. Hinc addunt subiectum maioris non esse omine revelatum à Deo specificativè acceptum; sed reduplicative, quantum dicit authoritatem, & revelationem: sicut in hoc syllogismo, *quidquid terminal creationem, existit*: Petrus

perminat creationem : ergo existit. Subiectum maioris non est subiectum terminans creationem specificativè acceptum ; sed reduplicativè. Vnde concludunt authoritatem , & revelationem non se habere præcisè, ut formam , sufficientem medium , ut vult Oviedo , sed ut medium.

26 Resp. Verum esse authoritatem , & revelationem utpote connexas cum mysterio esse rectum medium ad probandam existentiam mysterij : & hoc minimè reduci ad proximam in hoc syllogismo , cuius maior est vera ratione authoritatis , & revelationis ; at vero cum conclusio non moveatur unice ex medio præmissarum ; sed etiam ex extremitatibus , quæ extremitates maior , & minor dant præmissis nomen maioris , & minoris , siquidem tales extremitates constituunt inadæquate veritatem obiectivam præmissarum , hinc est , quod conclusio non elicetur ab habitu fidei : quia non movetur tanquam ex motivo sufficieni conclusionis ex motivo fidei. Hinc patet , subiectum maioris propositionis esse omne reuelatum specificativè acceptum , non reduplicativè , ut constat exemplo , quod addu-

adducit. Hæc dixerim si syllogismus
sit cathegoricus factus in Darij. Omne
revelatum à Deo existit: Incarnatio est
revelata à Deo: ergo existit.

27 Demus verò subiectum maiori
ris propositionis esse *omne revelatum*
reduplicativè acceptum, modo redu-
plicatio non auferat, quod obiectum
ipsum revelatum maneat in recto, & sit
subiectum de quo affirmatur prædicatu-
m, nihil ad rem. Rectè autem potest
contingere, quod obiectum revelatum
sumatur reduplicativè, & quod obie-
ctum ipsum revelatum sit subiectum
affirmationis, ut in hac affirmatione,
Sanctus, ut Sanctus est amicus Dei, sub-
iectum sumitur reduplicativè, & præ-
dicatum *amicus* nō prædicatur de for-
ma, sed de subiecto, v. gr. Petro; &
quia usus huius doctrinæ est valde fre-
quens, eam repetemus ex philosophia.

28 Reduplicaciones in concretis
accidentalibus, aliquando dicunt in re-
cto solam formam, aliquando solum
subiectum, & aliquando utrumque.
Quando verò dicunt in recto unum,
quando aliud? colligitur ex prædicato
in ordine ad quod reduplicatur subie-
ctum. Quando convenit prædicatum
solum

solum formæ , tunc sola forma dicitur in recto, & sic in reliquis, v.gr. Petrus, ut productus est accidens, hic sola forma dicitur in recto , quia solum formæ productio convenit esse accidens , & in hac, Petrus, ut productus est animal, solum Petrus dicitur in recto : & in hac, Petrus, ut productus existit , convenit utrique , quia prædicatum existit convenit formæ, & subiecto, & ideo utrumque dicitur in recto. Cum ergo in hac propositione , Omne revelatum , ut revelatum existit, prædicatum existit conveniat non solum autoritati, & revelationi ; sed etiam obiecto revelato , etsi medium sit obiectum revelatum , ut revelatum , hoc non tollit , quod dicatur in recto ipsum obiectum revelatum, quod est subiectum; & non sola forma, quæ est autoritas, & revelatio.

§. I I J.

29 Dico 2. Fides non est discursiva adhuc per syllogismum formaliter conditionatum, seu hypotheticum , sic tendentem: Si existat revelatio circa aliquod obiectum , existit obiectum. Sed existit revelatio circa existentiam Incarnationis-

*nationis: ergo existit Incarnatio; in quo
vnice est medium divina revelatio in-
volvens authoritatem. Ratio est: quia
adhuc conclusio non movetur ex sola
authoritate, ut revelante, quæ est me-
dium præmissarum, quia movetur ad
assentendum coëxistentiæ extremo-
rum inter se, nempè Incarnatio existit,
ex vi coëxistentiæ extremorum cum
tertio: & cum coëxistentia extremo-
rum in tertio includat hæc extrema,
quæ diversa sunt à motivo fidei; mo-
vetur ad concludendam existentiam
Incarnationis ex motivo diverso à mo-
tivo fidei; sicut in hoc syllogismo, Si
*existat unio, existant extrema: existit
unio: ergo extrema, ex coëxistentia ex-
tremorum cum vnione concludimus
existentiam extremorum inter se.**

30 Dices: In syllogismis nitenti-
bus identitati, obiectum formale con-
clusionis est identitas extremorum in-
ter se: ergo in syllogismis nitentibus
connexioni, obiectum formale conclu-
sionis est identitas coëxistentiæ cum
tertio, seu determinatio coëxistentiæ
cum tertio. Sed identitas coëxistentiæ
extremorum cum tertio est connexio
distincta ab extremitis, quæ illa deter-
mi-

minat ad sic coëxistendum: ergo ex hac connexione distincta ab extremis movetur conclusio. *Resp.* conc. antea & prima conseq. dist. min. Identitas illativa coëxistentiæ extremorum cum tertio, est sola connexio distincta ab extremis, conc. min. Identitas *vera, realis, seu formalis*, coëxistentiæ extremorum cum tertio, nego min. & conseq. Quia conclusio non movetur ex identitate illativa coëxistentiæ; sed ex identitate vera, reali, seu formalis coëxistentiæ: sicut in syllogismis nitentibus identitati non movetur ex identitate illativa; sed ex identitate extremorum cum tertio.

31 Insistit Ripalda: Hic actus *Invenitio existit*, per accidens est conclusio: quia poterat non esse conclusio formalis; sed solum materialis. Sed si non esset conclusio formalis, esset elicitus à fide: ergo cum idem sit quo ad substantiam, et si sit conclusio formalis, elicetur à fide. *Hac* instantia supponit actus non respicere *intrinsecè* suum obiectum formale. Item conclusionem non esse ab intrenseco conclusionem; sed ab extrinseco, hoc est, quod si præcedant, & procedat à præmissis, sit conclusio;

elusio; secus aliter. Et utrumque est illi accidentale. Verum hæc doctrina, qua facilitate proponitur, negatur. Et saltem actus fidei debere respicere in se ipsum suum obiectum formale, probavimus disp. 1. Sed permissa hac doctrina, adhuc non probatur, hunc actum quatenus conclusionem esse actum fidei, quod debebat probare: quia quatenus conclusio est, habet obiectum formale distinctum à motivo fidei, quale est veritas obiectiva præmissarum.

32 Dico 3. Fides potest esse discursiva, quando arguitur ab obiecto formalis fidei ad obiectum materiale indistinctum ab obiecto formalis fidei. Probabit aliquis conclusionem sic: In hoc syllogismo, *Omnis revelatio divina est vera. Sed Deus revelat revelationem Incarnationis: ergo revelatio Incarnationis est vera.* Fides est discursiva. Sed in hoc arguitur ab obiecto formalis fidei ad obiectum materiale indistinctum ab obiecto formalis fidei: ergo. Prob. mai. Conclusio solum movetur ex motivo fidei: ergo elicetur à fide. Prob. Quia conclusio movetur ex veritate obiectiva præmissarum. Sed veritas præmissarum solum continet motio-

vum fidei, nempè authoritatem, & re-
velationem: ergo conclusio solum mo-
veatur ex motivo fidei. Sed forsan res-
pondebit aliquis neg. mai. Ad probat.
neg. ant. & min. probationis; nempè
quod in præmissis solum contineatur
motivum fidei: quia in maiorि *Omnis
revelatio divina est vera*, attingitur
omne verum, & non solum verum idé-
tificatum cum revelatione: sicut com-
munitèr dicitur per hunc actum, *Omnis
homo est animal*, attingi omne ani-
mal, & non solum animal hominis. Et
quia similitèr respondebit, si argumen-
tum ita proponatur, *Omnis revelatio
divina est sufficiens ad assentiendum*. Sed
datur *revelatio divina Incarnationis*: er-
go &c. quia per ly sufficiens dicet attin-
gi omne sufficiens ad assentiendum, &
non solum sufficiens ad assentiendum
ex motivo fidei divinæ.

33 Ideò aliter prob. conclusio:
Fides est discursiva in hoc syllogismo,
*Omnis revelatio divina est sufficiens ad
assentiendum ex motivo fidei divinæ*. Sed
datur *revelatio divina Incarnationis*: er-
go datur sufficiens motivum ad assen-
tiendum fidei divinæ. Sed in hoc argui-

etur ab obiecto formalis fidei ad obiectum materiale indistinctum à formalibus: ergo sic potest esse discursiva. Prob. mai. Conclusio vnicè movetur ex motivo fidei: ergò. Prob. ant. Conclusio movetur ex veritate præmissarum. Sed in præmissis solum attingitur motivum fidei: ergò. Prob. min. Eatenus aliud attingeretur, quatenus in præmissis ponitur *ly sufficiens*. Sed per *ly ex motivo fidei divinae* restringitur *ly sufficiens*, ne attingatur aliud *sufficiens*, quā ad assentiendum fidei divinæ: ergo in præmissis solum attingitur motivum fidei. Hæc proposui magis dubitando, quam resolvendo, si forte alicui placeant,





DISPUT. XI.

An fides possit stare cum
evidentia circa idem
objec^{tum}?



Ertum est circa idem ob-
iectum materiale posse
dari fidem de vna forma-
litate ; & scientiam de
alia ; vnde quæstio pro-
cedit de eadem formalitate , seu de eos-
dem obiecto secundum eandem forma-
litatem .



SECTIO I.

*An fides sit positivè obscura , vel solum
præcisivè ; & qua ratione ?*

¶ **S**UP. cum communi contra Lugo dist. 2. à nro. 40. assensum fidei divinæ esse *moraliter* evidenter respectu penetrantis argumenta credibilitatis ; cum quibus argumentis commensuranda est evidentia assensus. Prob. Quia vel evidentia moralis consistit in eo, quod dubitari non possit, nec formidare de veritate, ut inquit Granados tract. 2. disp. 4. Vel consistit in ea claritate lucis, ut reddat *moraliter* impossibilem dissensum , ut inquit Lugo supr. & Ripalda disp. 12. sect. 2. Sed penetrans argumenta credibilitatis non potest prudenter firmare de veritate obiecti , & respectu illius est *moraliter* impossibilis dissensus : ergo respectu penetrantis argumenta credibilitatis assensus nostræ fidei est *moraliter* evidens. Prob. min. Respectu penetrantis argumenta credibilitatis , tam impossibilis est dissensus circa existentiam mysticij , & tam non

non potest dubitare , nec formidare de existentia mysterij , quam respectu mediocriter politici est impossibilis dissensus de existentia Romæ , & prudens dubitatio , seu formido de existentia Romæ . Sed respectu mediocriter politici est moraliter impossibilis dissensus de existentia Romæ , & non potest prudenter dubitare , nec formidare de existentia Romæ : ergo.

2 Confirm. Cui pro claritate argumentorum , & signorum suadetur tam clare assensus , ut quasi cogatur ad assensum , est tam clarus assensus , ut sit moraliter impossibilis dissensus , & non possit prudenter dubitare , nec formidare de existentia obiecti. Sed penetranti argumenta credibilitatis suadetur tam clare assensus , ut quasi cogatur ad assensum , & impossibilitetur ad dissensum : ergo. Prob. min. Ex D. Thom. hic quæst. 5. artic. 2. ubi resolvens dæmones credere ex Iacobii 2. *Dæmones credunt , & contremiscunt* , ait ad 1. *Dæmonum fides est quodammodo coacta ex signorum evidencia*. Ad 2. *Fides , quæ est in dæmonibus , non est dominum gratias ; sed magis reguntur ad creandus ex perspicacitate*

te intellectus. Ad 3. Hoc ipsum dæmos
ribus displaceat, quod signa fidei sunt tam
evidentia, ut per ea credere compellan-
tur. Et 3. part. quæst. 47. artic. 2.
*Inde oī vidisse evidētia signa Divinita-
tis Christi:* Ergo respectu penetrantis
argumenta credibilitatis suadetur tam
clare assensus, ut quasi præ claritate
argumentorum cogatur ad assensum,
& impossibilitetur ad dissensum.

3. Hinc formidolose dico, quod
alijs iudicandum relinquo; quia mo-
dus loquendi Sanctorum valde vene-
randus, prima facie videtur contra-
rius. Sed in hoc existimo aliquale ob-
sequium præstari fidei, si fiat suasibi-
le, eius obiectum non solum esse cer-
tum; sed etiam clarum ex medio fidei,
seu ex signis credibilitatis. In his non
intendo tantum quantum Caietan. qui
quæst. 171. artic. 5. per se requirit
ad credendum in Apostolis, Propheti-
tis, & viris dicitis evidentiam in atte-
stante. Dico fidem Divinam non esse
positivè obscuram adhuc ex medio fi-
dei, nec negativè, nec præcisivè obs-
curam *absolutè* loquendo, sed solum
præcisivè obscuram *respectivè*, id est,
non perdit claritatem physiscam, nec

metaphysicam in obiecto ; nec ratione naturali , nec ex medio fidei.

4 Ratio mihi est. Evidentia physica non dicitur *positivè obscura* , nec *præcisivè obscura* & *absolutivè loquendo*. Sed ad summum *respectivè* quatenus non est tamen clara , quām evidentia metaphysica. Sed fides Divina est *morativer evidens* , ut modo diximus , & constat ex Ricard. de S. Vict. lib. I. de Trinit. cap. 2. *Domine si error est* , *quem credimus* , à te decepti sumus ; *ista enim nobis eis signis confirmata sunt* , *que non nisi à te fieri potuerunt* ; & ex Psalm. 92. *Testimonia tua credibilia falsa sunt nimis*, In quæ verba ait Lordinus , ex S. Basilio , & Theodoreto , *Ne minimam quidem falsitatem considerari posse*. Non dicit timeri ; sed considerari. Ex quo sic. Quod ita est notum , ut nulla in eo falsitas non solum timeri ; sed nec considerari possit , non est *positivè obscurum* ; sed *positivè clarum*. Sed mysteria fide credenda , ita nota sunt , ut nulla in eis falsitas non solum timeri ; sed nec considerari possit : ergo. Mir. constat ex David. Basil. & Theodoreto. Maior videtur patere : quia solum , quod est *clarum* ,

rapit intellectum ita, ut nulla in eo, falsitas considerari possit.

5. Confirm. Actus, cuius obiectum, licet cum aliqua exaggeratione, iure dicitur demonstratum, non est positivè obscurus; sed positivè clarus. Sed obiectum fidei, licet cum aliqua exaggeratione; iure dicitur demonstratum: ergò. Prob. min. ex Chrysost. in oratione contra Gentiles: cui titulus: *Adversus Gentiles demonstratio, quod Christus sit Deus, & ibi Hinc autem faciemus demonstrationem veritatis Christi, ut ostendamus ipsum esse Deum.*

2. Actus, cuius obiectum tale est, ut solus valde insanus, & sensu privatus contradicere possit, non est actus positivè obscurus, sed positive clarus. Sed actus fidei eiusmodi est: ergò. Maior videtur vera: quia sola claritas obiecti videtur hos effectus facere. Min. prob. ex Chrysost. ibi. *Nullus igitur his contradixerit, nisi qui valde insanus, rotusque spurcus, naturaque sensu privatus.* Ergo non est positivè obscura, nec praevisivè obscura absolute loquendo; sed solum respectivè, quatenus non est tamen clara, quam evidentia physica, & meta-physica.

Quod

6 3. Quod ita est notum , ut præ evidentia signorum quasi compellat ad credendum , non est *positivè* obscurum. Sed mysteria fide credenda ita sunt nota respectu penetrantis argumenta credibilitatis , ut præ evidētia signorum quasi compellant ad credendum: ergo Mysteria fide credenda non sunt *positivè* obscura , adhuc ex medio fidei : & consequenter fides non est *positivè* obscura. Prob. min. ex Div. Thom. hic quæst. 5. artic. 2. ad. 3. *Hoc ipsum dæmonibus displicet , quod signa fidei sunt rām eviaentia , ut per ea credere compellantur.* Et ex alijs supra allatis repetendis.

7 Confirm. i. Actus , cuius obiectum tale est , ut præ evidētia signorum sit aut præcipitis arrogantiæ , aut summæ dementiæ de eo aliquantulum dubitare , non est *positive* obscurus ; sed *positivè* clarus. Sed actus fidei eiusmodi est : ergo , Major videtur vera: quia sola claritas obiecti videtur posse facere similes effectus. Prob. min. Ex August. de Utilitate credendi , cap. 12. *Nolle illi primitias dare , vel summa impietatis , vel præcipitis arrogantiæ est.* Ex Ricard. de S. Vict. lib. 1. de Trinit.

cap. 22. Genus esse dementie in his vel aliquentulum dubitare. 2. Actus , cuius obiectum est tale , vt respectu penetrantis terminos manifeste cognoscatur , tale obiectum dici à Deo , qui non mentitur , non est actus positivè obscurus; sed positivè clarus. Sed actus fidei eiusmodi est : ergò. Prob. min. ex D. Thom. hic quæst. 5. artic. 2. Si aliquis Propheta prænuntiaret in sermone Domini aliquid futurum , & adhiberet signum mortuum fascitando : ex hoc signo convinceretur intellectus , ut cognoscere manifeste hoc dicti à Deo , quia non mentitur. Nota ly convinceretur , & ly manifeste. 3. Actus , quo regulatur per evidencia si na circa suum obiectum , non est positivè obscurus ; sed positivè clarus. Sed eiusmodi est actus fidei respectu penetrantis argumenta credibilitatis : ergò. Prob. min. ex D. Thom. 3. part. quæst. 47. artic. 2. ubi sit, Iudeos vidisse evidencia signa Divinitatis. Quæ eadem signa habent penetrantes argumenta credibilitatis, ex D. Thom. 2. 2. quæst. 5. artic. 2. Dicendum est , quod fideles vident multa manifesta iudicia , ex quibus percipiunt doctrinam Ecclesia à Deo esse.

8. 4. Iuxta plures præcipue Thiom
mistas æquè difficile est , fidem con-
iungi cum notitia positivè clara obiectū
credendi, ac fidem esse positivè claram.
Sed fides coniungi potest cum noticia
positivè clara obiecti: ergo. Prob. min.
Ex Hugo de Sancto Victore 2. 2.
quæst. 5. artic. 1. latius referendo
conclusionē sequenti in cuius verba ait
D. Thom. ibi ad primum , dici potest,
quod contemplatio , qua tollit necessita-
tem fidei, est contemplatio Patris.

9. 5. Quod lucet in caliginoso
loco , non est positivè obscurum , nec
præcisiū , absolute loquendo. Sed fi-
des iuxta Divum Petrum , Petri. 2. est
Lucerna lucens in caliginoso loco : ergo
non est positivè obscura , nec præcisi-
vè , absolute loquendo ; sed solum res-
pectivè ad maiorem claritatem. Maior,
quæ ex se videtur vera. Suadetur , quia
D. Iohannes cap. 1. vt explicet Ver-
bum , & Christum esse magnam lucem
illuminantem totum mundum , dicit
esse lucem , *Quæ in tenebris lucet , &*
tenebra eam non comprehendunt. Itz
quæ Cyril. apud Barradas. *Quoniam*
ipsa lux omni creatura est incomprehen-
sibilis , tenebra eam non comprehendet

runt. Idem Hilar. lib. 2. de Trin. Barras das, *Docet Evangelista, lucem, de qua loquitur, esse splendidissimam, quam multæ tenebrae non possint vincere.* Maldon. *Lux in tenebris lucet, quo modo si diceret, lux tenebras illuminat, eas dissipans, aique dispellens.* Sed non esset adeò magna lux in tenebris lucens, si esset positivè obscura: ergo fides, quæ lucet in caliginoso loco, non est positivè obscura. 2. De Christo dicitur ibi illuminasse omnem hominem, & Christus illuminat per fidem. Sed lux, quæ multos illuminat, non est positivè obscura: ergo. Ideò August. tract. 44. in Ioan. circa initium, *Cacitas est infidelitas, & illuminatio fides.* Et Paul. Ephes. 5. *Eratis aliquando tenebra; nunc autem lux in Domino.* Sed non bene dicereatur lux, & illuminatio comparata cum tenebris, si esset positivè obscura: ergo.

10 6. Qui vidit alium per speculum, non videt eum positivè obscure. Sed per fidem videmus Deum per speculum ex 1. ad Corinth. 12. *Videmus nunc per speculum.* Confirm. ex D. Bernardo serm. 2. de Epiphania ad illa verba, *Egredimini filii Sion, & videte Regem Salomonem,* ubi sic ait: *Rogo vos inimes*

intuemini, & videte quam oculata sit fides, quam linceos habeat oculos. Sed non esset ita oculata, nec linceos haberet oculos, si positivè obscure cognosceret, aut obscure præcisivè absoluere loquendo: ergo.

11 Confirm. Luc. 4. de dæmonibus penetrantibus signa credibilitatis, dicit: *Non sinebat eos loqui: quia sciebant, ipsum esse Christum.* Et Ioan. 4. loquendo de Apost. & Discipulis penetrantibus signa, dicit: *Nos adoramus, quod scimus.* Et ibi dicit, Samaritanos, postquam audierant Christum, & viderant signa, dixisse Samaritanæ: *Iam non propter suam loquaciam credimus, ipsi enim audivimus, & scimus: quia hic est vere Salvator mundi.* Sed hoc verbum scimus saltem indicat evidentiam moralem mysterij: & *impropriæ sumetur verbum scimus* in his circumstantijs pro notitia positivè obscura: ergo fides non est positivè obscura adhuc per media fidei.

12 Prob. tandem. Non est minus clara cognitio moraliter evidens, quam cognitio probabilis. Sed cognitio probabilis, quamvis iure dicitur formidolosa, & incerta, communiter non dici-

tur positivè obscura : ergo cognitio fidei, quæ est moraliter evidens, non est dicenda positivè obscura. Major videatur vera : quia magis notum est dari Romam, quam materiam existere per existentiam formæ. Confirm. Lux ex eo, quod non sit valde intensa, non dicitur positivè obscura. Sed lux fidei, etiū non sit valde intensa, est tamen lux, ut constat ex D. Petro, *Lucerna lucens in caliginoso loco*. Et ex Psal. 118. *Lucerna per eibus meis verbum tuum, & lumen semi sis meis*. Et Ioan. 8. *Qui sequitur me non ambubat in tenebris ; sed habebit lumen vite*. Mald. Fidem appellat lumen vite. Confirm. 2. Lux, quæ verè dicitur ostensio rerum, non aliunde apparentium, non est positivè obscura, sed positivè clara. Sed fides est lux, quæ est ostensio rerum non aliundè apparentium : ergo. Prob. min. Ex Theophilo in Hebr. 11. *Argumentum non apparentium, ait, Fides est ostensio rerum in speculum non venientium*.

13 Si hæc ita sint, cum per actum fidei non reddatur obiectum positivè obscurum adhuc per medium fidei ; & multo minus privativè obscurum, seu parens omni claritate; sed clarum clari tate

ritate moraliter evidenti; etsi non tam clarum, quam redderetur claritate physice, aut metaphysice evidenti: si coniungatur scientia, & fides circa idem obiectum, non redditur obiectum clarum, & obscurum adhuc per diversa media; sed clarum ut duo, v. gr. per fidem, seu luce, & claritate remissa: & clarum ut quatuor per scientiam, seu luce, & claritate intensa: sicut solet cubile per vnam fenestram habere lucem remissam, & per aliam lucem intensam.

14 Obiectiones, quae contra hanc conclusionem poni possunt, solvemus, Deo auspice, dum salvabimus obiectiones contra conclusionem sequentem: *vbi magis constabit, quænam est obscuritas requisita ad fidem: & quo sensu dicatur obscuritas.* Interim, *Obje. claritas gratia.* Ad Corinth. 10. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium fidei.* Idem canit Ecclesia: *Captivantes intellectum in obsequium fidei.* Sed non captivaretur intellectus, si fides non esset obscura, si consequenter mysterium non esset obscurum; sed clarum, ut videtur patere: ergo. *Argum.* forte probat mysteria fidei nec esse evidencia moraliter, nec evidenter cre-

dibilitia, ut patet, si applicetur eadem
forma arguendi. *Resp. dist. & explicā-*
do mai. Captivamus intellectum sum-
pta captivitate pro summissione ad assen-
tiendum firmiter, quia Deus dicit, &
præparatione animi ad assentiendum
firmiter propter revelationem Dei suf-
ficienter propositam, quidquid contra
reclament sensus, & ratio naturalis
seorsim à medio fidei, conc. mai. sump-
ta captivitate pro difficultate credendi
omnibus mysterijs fidei, neg. mai. &
min. Sensu explicato. Quia licet multis
mysteriis sint difficultia, si credamus sen-
sibus, ut *Sacramentum Eucharistiae*; et si
credamus rationi naturali seorsim à
medio fidei, & signis credibilitatis, ut
Mysterium Trinitatis. Multa tamen non
habent hanc difficultatem, ut *existentia*,
sapientia, & *potentia Dei*; & omnia fi-
de credenda sunt moraliter evidencia;
& saltem æquè evidencia, quam exi-
gentia *Rome*: ideoque non requiritur
positiva obscuritas in fide, nec in obie-
cto fidei; et si aliquando reperiatur dif-
ficultas, si attendamus sensibus, & ra-
tioni naturali seorsim à medio fidei,
& à signis evidenter cre-
dibilitatis.

SECTIO II.

*An circa idem obiectum materiale possit
dari simul in eodem intellectu actus
scientiae, & actus fidei?*

35 **I**N nostra sententia dicentes fidem esse positivè claram, non esset difficile actum scientiæ coniungi cum actu fidei: quia claritas fidei non impediret maiorem claritatem scientiæ: ideo quæstio procedit casu quo fides sit positivè obscura. Ad quam: *Sup. i.* Circa idem obiectum materiale formaliter idem. Posse coniungi in eodem intellectu actum confusum, & actum discretivum; v. gr. cognitio universalis *omnis homo*, & cognitio singularis, *hic homo*; cognitio, quæ est definitio; & cognitio, quæ est definitum formale, v. gr. hæ, *homo rationale*. 2. Coniungi posse cognitionem intuitivam, & abstractivam: quia Angeli vident intuitivè Deum in se; & abstractivè in creaturis. 3. Assensum certum, & incertum: sic assensus fidei divinæ coniungi potest cum assensu fidei humanae circa idem obiectum, imo

plures existimant assensum fidei humanae commitari semper assensum fidei divinae. 4. Coniungi potest assensus evidens cum assensu probabili, ut docet D. Thom. 1. 2. quæst. 67. art. 3. Potest unus homo cognoscere eandem conclusionem per medium probabile, & demonstrativum. Et in 3. dist. 3 1. quæst. 2. art. 1. ad 4. Opinio, & scientia, quavis sint de eodem; non tamen secundum idem medium, & ideo possunt esse simul. Idem habet 3. part. quæst. 9. art. 3. ad 2. Et ratio id suadet: quia Philosophus potest demonstrative cognoscere existentiam Dei, & simul eam cognoscere; quia Authores gravissimi eam affirmant, vel ex alia ratione probabili. Tunc tamen solum daretur formido radicalis de existentia Dei, sistens in cognitione probabili; non vero formido actualis, nec formalis, sistens in cognitione reflexa dicente, *Forte non existet obiectum cognitionis directe*, quæ cognitione non posset dari in eo casu. Hæc vera sunt, licet Hurtado disp. 30. sect. 1. dicat formidinem actualem esse inseparabilem à cognitione probabili. Idem tenet Ripalda sect. 3. Sed dicens formidinem actualem posse

coniungi cum evidētia; sed formidinēt, quæ limitatè cadat supra cognitionēm probabilem, id est, quod solum spectata hac notitia obiectum potest esse falso in; sed de hoc nullus dubitat.

16 Sup. 2. Recitè coniungi posse in eadem voluntate circa idem obiectum amorem necessarium, & liberum, sic Christus simul amabat Deum amore necessario orto ex scientia visionis, & amore libero orto ex scientia infusa, quo merabatur nobis: & in Beatis, qui amant Deum amore necessario, & possunt simul amare amorem libero terminato ad Deum, & creaturas. 2. Coniungi potest amor efficax, & inefficax circa idem obiectum sic Deus inefficaciter amat salutem omnium ex illo, qui vult omnes homines salvos fieri; & efficaciter amat salutem predestinatōrum. 3. Coniungi potest amor ex motivo charitatis cuius amorem ex motivo misericordiae non petente motivum charitatis, & sic Beatis. 3. Coniungi possunt pro diversis signis in eadem voluntate indifferentia, & determinatio.

17 His sappositis, 1. Sententia dis-

cit non posse coniungi actum scientiæ cum actu fidei circa idem obiectum. Ita communiter Thomistæ , quo s sequitur Gonet disp. 1. cap. 6. Palanc. disp. 4. quæst. 5. Doctor Rios disp. 3. de Fide, loquendo de fide obsequiosa. Secundæ , Spendin controv. 8. sect. 1. de Fide lata , id est non obsequiosa ait sect. 4. coniungi posse cum scientia naturali , non verò cum scientia supernaturali. Ex nostris Antonius Perez, Esparza , & alij. Secunda sententia dicit, actum fidei coniungi posse cum actu scientiæ abstractivæ. Ita Suarez disp. 3. sect. 9. Coninc disp. 11. dub. 15. Lugo disp. 2. sect. 2. Muniesa disp. 1. sect. 2. Tertia dicit, fidem nec Divinitus coniungi posse cum evidentiæ quidditativa , aut intuitiva. Ita Vazquez 3. part. disp. 53. Torres disp. 8. Suarez verò Lugo, Granados disp. 7. Coninc , Petrus Hurtado , dicunt, connaturaliter non posse coniungi ; secus de potentia absoluta.

4 Dicit actum fidei posse coniungi de potentia ordinaria , etiam cum evidentiæ intuitiva , modo fides præcedat intuitionem. 5. Dicere potest , fidem coniungi posse etiam cum eviden-

ria intuitiva sive fides præcedat, sive non intuitionem. Hanc sententiam illustrant Nobiles RR. Cistercienses, qui absolute, & sine distinctione dicunt, fidem coniungi posse ex natura rei cum scientia abstractiva: & cum visione intuitiva corporea; & cum visione intuitiva Dei.

18 Ante resolutionem fatendum est D. Thom. eare dicere fidem non posse coniungi cum scientia. Ita z. 2. quæst. 1. artic. 4. Manifestum est, quod nec fides, nec opinio potest esse de visis, aut secundum sensum, aut secundum intellectum, & ibi artic. 5. Non autem est possibile quod idem ab eodem sit visum, & creditum. Et ibi ad quæst. inquirentem, Virum obiectum fidei, possit esse aliquid visum? Respondet, fidei obiectum impossibile est esse aliquod visum. Et quæst. 5. artic. 1. quæst. An Angelus, & homo in prima sui condicione in gratia haberint fidem? Respondet affirmativè, & semper recurrit ad id, quod in eis erat aliqua obscuritas: & quod licet aliqua cognoscebant manifeste, quæ nunc non possumus cognoscere nisi per fidem; non solum osmania. Ideo meo iudicio mens

D. Thom. est fidem non posse coniungi cum scientia.

19 Nihil omnibus plures dubitant, an sit hæc mens D. Thom. tam absolute: quia D. Thom. solum videtur dicere fidem non posse coniungi cum visione intuitiva Dei, & quidem hac quest. 5. refert verba Hugo de Sancto Vict. *Novit homo in primo statu crearem suum, non ea cognitione, qua Deus modo a credentibus absens fide queritur; sed ea, quæ per præsentiam contemplationis manifestius cernebatur.* De quibus verbis ait ibi, ad pri-
mum dicta Hugo, *Magistralia sunt, & robur autoritatis habent; dici tamen potest quod contemplatio, qua tollit necessitate in fidei est contemplatio Patria.*
Hanc autem non habuit Angelus ante confirmationem, nec homo ante peccatum. Enī vbi satis insinuat fidem non posse coniungi cum cognitione intuitiva Dei. Et nota illa verba, *qua tollit necessitatem fidei, quæ insinuant ideo solum in Patria non dari fidem: quia data visione Dei fides non est necessaria; quod vero superabundanter, & siue nec ellsitate detur, videtur permettere.* Et ibi ad secundum. Inerat intel-
lectui

letini Angelico quadam obscuritas naturalis secundum quod omnis creatura nebra est comparata Divino lumini, & ratis obscuritas sufficit ad fidei rationem. Ubi obscuritatem valde latam dicit sufficere ad fidem: & hac quæst. 5. artic. 1. Cum Angelus ante confirmationem, & homo ante peccatum non habuerint beatitudinem, qua Deus per essentiam videtur, manifestum est, quod non habuit sic manifestam cognitionem, quod excluderetur ratio fidei, & nota ly manifestum est, quo denotat, clarum, & sine dubio esse, nullam aliam cognitionem excludere fidem. Et in 3. dist. 31. quæst. 2. artic. 1. ad 4. Opinio, & scientia, quamvis sint de eodem non tam secundum idem medium, & idè possunt esse simul. Et eadem est ratio de scientia, & fide. Et 3. part. quæst. 9. tric. 3. ad 2. Ideò venia Div. Thom. & eius dictis muniti quamvis in conclusione re vera sit oppositus, tenemus 59. sententiam.

§. I.

20 Dico: Fides coniungi potest cum scientia sive abstractiva, sive intuitiva.

trinitatis, sive fides præcedat, sive sequatur intuitionem. Prob. Homo, & Angelus ante lapsum habuerunt fidem Dei, saltem, ut Authoris supernaturalis. Sed hæc fides coniungebatur cum Scientia Dei, ut Authoris supernaturalis: ergo fides consungi potest cum Scientia. Mai. est D. Thom. hic quæst. 5. artic. 1. Necesse est dicere, quod Angelus ante confirmationem habuit fidem, & semitier homo ante peccatum. Et adeò certa ut Suarez, de Angelis, cap. 5. num. 16. oppositam. Omnino falsam, & improbandam censcant. Et ad Angelos etiam pertinere illud ad Hebr. 11. Accedentem ad cum oportet credere quia est. Hoc restatur D. Thom. ibi argumento sed contra. Min. probatur ex verbis relatis, Hugo dicentis, tunc Angelos cognovisse Deum, necessaria cognitione: qua Deus modo à credentibus absens fide creditur. Sed modo à viris doctis, non creditur absens fide, ut author naturalis iuxta communem sententiam Thomistarum, dicentium in viris doctis non dari fidem Dei, ut Authoris naturalis: ergo ea Scientia fuit Dei, ut Authoris supernaturalis. Et ex Aug. relato à D. Thom. initio
huius

huius quæst. 5. Angelus in statu sua prime conditionis ante confirmationem , vel sapsum habuit oculum contemplationis: videbat enim res in Verbo , ut August. dicit in 2. super Genes. ad literam : & similiter primus homo videtur habuisse oculum contemplationis aperium.

21 2. Non magis repugnant inter se actus obscurus, & clarus, quam certus, & incertus; clarus, & confusus; liber , & necessarius , & reliqua dicta in notabilibus. Sive alter sit prior , sive posterior ; quia sicut eidem actui repugnat claritas , & obscuritas , ita repugnat claritas , & confusio. Sed circa idem obiectum potest coniungi in eodem intellectu actus clarus , & confusus , & reliqua, ut dictum est in notabilibus : ergo etsi de ratione fidei esset obscuritas per medium fidei posset coniungi actus scientiae cum actu fidei. Confirm. Incertitudo vnius actus non dicit carentiam omnis certitudinis in obiecto ; nec confusio vnius actus carentiam omnis claritatis , nec intuitio carentiam omnis abstractionis , nec libertas ad unum actum carentiam dicit necessitatis ad alium : ergo obscuritas vnius actus non dicit carentiam omnis clau-

claritatis in obiecto, & consequenter non dicet carētiam actus clari. 2. Quod ingrediatur lux remissa per vnam fentiam non reddit cubile obscurum, si per aliam ingrediatur lux intensa: nec lux remissa ingrediens per vnam fentiam facit ne ingrediatur per aliam lux intensa. Sed ad minus fides est lux remissa, & per eam habet obiectum lucem remissam ex illo Petri, *Lucerna lucens in caliginoso loco*: ergo fides non faciet quod obiectum non habeat maiorem lucem per actum scientiæ.

22 Prob. 3. Trident. sess. 6. cap. 6. explicans illud ad Hebr. 11. *Accidentem ad Deum oportet credere quia est, & quod inquirentibus se Remunerator sit.* Et ibi addit: *Fide intelligimus formata esse facula verbo Dei.* Dicit, fidem de existentia Dei esse dispositionem ad iustificationem: *De hac dispositione scriptum est accidentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se Remunerator sit.* Vbi non solum loquitur de fide existentiæ Dei, ut Authoris sapernaturalis, quo d explicatur per ly, quod Remunerator sit; sed etiam de fide existentiæ Dei, ut Authoris naturalis; quod explicatur per ly oportet credere quia

q[ui]a est; imò h[oc] fides est necessaria
necessitate medijs. Similiter in Symbo-
lo frequentèr: *Credo in unum Deum
Omnipotentem.* Sed Philosophus Chri-
stianus evidentèr cognoscit existen-
tiam Dei, ut Authoris naturalis, vni-
tatem, & omnipotentiam Dei, & lœcula
formata esse Verbo Dei: ergo eiusmo-
di fides potest coniungi cum evidentiâ.
Prob. mai. & conseq. Quia alijs Philo-
sophus Christianus esset peioris condi-
tionis, quam rusticus, quia propter
suam scientiam careret cognitione fi-
dei, quæ utilior, & fructuosior est, quæ
cognitio scientiæ. *Confirm.* Ad contri-
tionem præcedere debet fides de boni-
tate Dei, & malitia peccati: quia talis
cognitio supernaturalis est dispositio
necessaria ad contritionem. Sed Philo-
sophus Christianus evidentèr cognos-
cit bonitatem Dei, & malitiam peccati:
ergo fides coniungi potest cum eviden-
tia. 2. Iuxta Div. Thom. Angeli ante
lapsum habuerunt fidem de Deo, eius
bonitate, potentia, & sapientia, qua fi-
de directi sunt ad dilectionem Dei in
primo instanti Sed Angeli scientia evi-
denti cognoscebant dictas perfectio-
nes: quia cognoscebant creatos esse à
Deo;

Deo, qui sine sapientia, & potentia non poterat eos creare: ergo Angeli habebant simul scientiam, & fidem de bonitate, sapientia, & potentia Dei.

23 3. Beatissima V. evidentē sci-
vit se sine viro concepisse. Ipsa, & Apo-
stoli evidentē noverunt Christum
mortuum, & posteā vivum, & in Cœlos
elevatum: taliae evidētia noverunt,
quali novimus, audivimus, & videmus,
ut constat, & dicitur Act. 4. Non enim
possimus, que audivimus, & vidimus
non loqui. Ioan. 13. Qui vidit testimo-
nium peribuit. 1. Ioan. 1. Quod vidi-
mus oculis nostris, quod perspeximus, &
manus nostra correctaverunt testamur.
Sed B. V. & Apostoli de his habue-
xunt fidem: ergo Probat. min. Quia
aliās illa evidētia faceret eos peioris
conditionis; quia faceret eos carere
certiori, & utiliori cognitione: cum
fides sit certior, utilior, & fructuo-
sior, ea evidētia præcipue naturali.

24 4. Deus posset infundere via-
tori cognitionem claram mysteriorum.
Sed hic posset credere mysteria: ergo.
Mai. videtur vera: quia quo iure nega-
bitur Deo hæc potestas: imò forte ha-
buit eam cognitionem B. V. Prob. min.

Quia

Quia alijs eo singulari beneficio fieri peioris conditionis : cum caret ut iliori cognitione : & sorte salvari non possunt : quia non haberet fidem requiritam ad salutem.

25 5. Dum credimus revelatis, quia Deus dicit assentimur assensu fidei veracitati Dei , & alijs perfectionibus constituentibus authoritatem; vel saltem possumus eis assentiri. Sed veracitatem Dei, & alias perfectiones constituentes authoritatem cognoscimus per scientiam : ergo dum credimus revelatis habemus scientiam , & fidem circa veracitatem Dei. Similiter iudicium elicitum à fide affirmans Deum revelare , attingit actu fidei existentiam Dei revelantis. Sed hoc iudicium componitur cum scientia de existentia Dei: ergò. Alias probationes dabbimus in impugnationem responsionum præcipue Palanco , & Rios.

§. II.

26 Dices : Philosophum deberet se abstrahere ab evidentia , ut det locum fidei. Contra : quia assensus scientificus non est subjectus dominio vo-

Junctatis: obiectum namque evidenter
apparens necessario rapit ad assensum;
idemque accedit quando excitatur spe-
cies evidens, quæ vel est eadem, quæ
concurrit ad actum naturalem, & su-
pernaturalem, vel eam excitat. 2. Quia
fides tunc coniungeretur cum memo-
ria evidenti, & non habet maiorem
difficultatem credere obiectum cum
scientia evidenti, quam cum memo-
ria evidenti.

27 Dices cum Caietano, Gonet,
& alijs, Apost. & Trident. exigere ad
iustificationem fidem de existentia Dei
in his qui non habent scientiam: quia
solum intendunt, ad iustificationem
esse necessariam cognitionem Dei cer-
tam, & non sufficere probabilem.
Contra: quia sic sentire, & ita latè in-
terpretari in his, quæ necessaria sunt
necessitate medijs ad salutem, videtur
durum, præsertim quando non datur
alia ratio sic interpretandi, quam ut
defendat fidem non posse coniungi cum
scientia. Imò post decretum Inno-
cenc. XI. prop. 23. *Fides latè dicta ex*
testimonio creaturarum, simili ve moti-
vo ad iustificationem sufficit. Nequit
sic sufficere ad iustificationem fidem

latam sumptam pro quavis notitia certa ex creaturis. Vnde haec responsum videtur improbabilis : An vero per hanc damnationem damnata sententia Patris Ripsalda , ut aliqui volunt ? Negavimus disp. 6. de Libet Arbitr. num. 40. Secundo , quia docti essent peioris conditionis , quam inadoceti : licet enim docti parati essent ad credendum existentiam Dei , si non haberent fidem ; & dato , quod per hanc preparationem haberent aequaliter meritum , ac si haberent fidem ; carerent tamen maiori perfectione ; & certitudine fidei , magis disponente , & conducente ad iustificationem , quam actus scientiae naturalis : quidquid enim dicat Gonet , ille actus scientiae non evadet supernaturalis , nec habebit maiorem certitudinem ex conforto habitus fidei : cum habitus non influat in illum iuxta ipsum : quae solum ratione tribuit certitudinem , & supernaturitatem actibus .

28 Cano lib. 12. de Locis , cap. 4. Palanco disp. 4. quæst. 6. Rios de Fide , disp. 3. dub. 1. dicunt fidem requisitam à Paulo , & Trident. & ad quam tenemur , esse de Deo ut Author

re supernaturali; non de Deo ut Auctore naturali, de quo datur scientia, verum est, dicunt, articulum unitatis omnibus credendum proponi, non quia credi possit à Philosopho Christiano; sed quia ut ait D. Thom. hic quæst. 1. artic. 5. *Id quod communiter omnibus proponitur hominibus credendum*, est communiter non scitum. Nec est necesse ponere exceptionem, quæ ex natura rei exigitur. Addunt, plura posse credi à Philosopho circa unitatem Dei ex D. Thom. hic quæst. 1. artic. 8. ad 1. *Multa per fidem tenemus de Deo, que naturali ratione Philosophi investigare non potuerunt, v. g. circa providentiam eius, & omnipotenciam, & quod ipse solus sit colendus, que omnia continentur sub articulo unitatis Dei.* Ita Doctor Rios.

29 Contra: Iuxta hæc Philosophus Christianus erit peioris conditionis, quam idiota, quia carebit certiori, & utiliori cognitione fidei sufficientis ad disponendum ad contritionem. 2. Paulus duo distinguit, & exigit, *Credere Deum esse, & remuneratorem esse.* Et de veroque articulo requirit fidem. Sed Deum esse pertinet

tinet ad Deum, ut Authorem naturæ
Iem; & remuneratorem esse, ad Deum
ut Authorem supernaturalem: ergo
etiam de Dō ut Autore naturali re-
quirit in omnibus fidem. 3. Philoso-
phus Christianus certior est de exi-
stentia Dei, quam Philosophus Gentilis.
Sed hæc maior certitudo prove-
nit de fide: ergo. Prob. mai. & min.
ex D. Thom. hic quæst. 2. artic. 4.
*Ut esset indubitate, & certa cognitio
apud homines de Deo, oportuit, quod
Divina eis per modum fidei tradicerentur.*
Et quæst. 4. artic. 8. *Multo magis ho-
mo certior est de eo quod audit à Deo,
qui falli non potest, quam de eo quod via
dit propria ratione, quæ falli potest.*
4. Non amittitur fides nisi faciendo
contra id quod præcipit. Sed si Phi-
losophus culpabiliter erraret circa
existentiam Dei Authoris naturæ,
amitteret fidem: ergo Philosopho
præcipitur credere esse Deum Au-
thorem naturæ. 5. Hic Philosophus
potest elicere assensum Theologicum
erga existentiam Dei Authoris naturæ:
ergo & assensum fidei. Prob. ant. Hic
Philosophus potest sic iudicare: *Omnis
revelatum à Deo est verum: Deum*

esse Authorem naturæ, est revelatum à Deo. Sed ex vi harum præmissarum assentitur: ergò. Deus est Author naturæ: ergò. Min. prob. Et quia in præmissis continetur veritas conclusionis: & quia præmissæ necessitant ad assensum conclusionis. 6. Qui credit rem fundatam, credit id in quo fundatur. Sed Deum esse Authorem supernaturalem fundatur in esse Authorem naturæ: quia gratia fundatur in natura: ergo qui tenetur credere Deum esse Authorem supernaturalem, tenetur credere, & credit Deum esse Authorem naturæ. 7. Deus potuit evidenter manifestare Angelo fidem, quam habuit Dei, ut Authoris supernaturalis, aut naturalis. Sed tunc coniungeret scientiam cum fide: ergo possunt coniungi. Mai. videtur vera: cur enim hæc non possit facere? Prob. min. Tunc sciret evidenter fidem Divinam esse veram. Sed tunc habebat fidem Dei Authoris supernaturalis, aut naturalis, & evidenter habebat: ergò.

30. 8. Deus potest infondere Petro cognitionem de se ipso Authori supernaturali, & Remuneratore: Sed Petrus cum hac cognitione clara, & evi-

evidenti posset habere fidem: ergo:
 Maior videtur nota: quia hanc cognitionem habuit Christus; & piè creditur eam habuisse B. V. & quia nulla cernitur implicatio. Prob. min. Hic homo posset tendere in Deum vi potestate viator. Sed non aliter quam per fidem: quia ut ait Paul. 2. ad Corinth. 5. Per fidem ambulamus: ergo. 2. Ille homo posset sperare. Sed ad spem requiritur fides Dei Remuneratoris: ergo. 3. Ille homo si esset peccator posset iustificari; etsi esset iustus posset crescere in gratia. Sed ex Paulo, & Trident. supr. Sine fide impossibile est placere Deo. Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se Remunerator sit: ergo.

31 Addunt cum Doct. Rios, Philosophum Christianum esse certiorem Philosopho Gentili de existentia Dei Authoris naturæ, tunc in habitu, quia avertit ab errore, & in præparatione animi ad non dissentendum, etsi eam non cognosceret demonstrative; tunc in actu, quia cum sciat Deum infallibilem revelare existentiam Dei, remissior est ad dissensum, quam Gentilis. Contra: Div. Thom. non solus dicit

Philosoph. Christianum certiorem esse Gentili in habitu, & actu vicinique; sed certiorem habere cognitionem. Ita hic quæst. 2. art. 4. ut esset indubitata, & certa cognitio apud homines de Deo, oportuit, quod divina eis per modum fidei traderentur. Sed iuxta hunc modum dicendi non haberet certiorem cognitionem certitudine subiectiva, & altioris ordinis: ergo hic modus non est rectus. 2. Quia Philosophus Christianus debet habere cognitionem certiorem, & utiliorem ad salutem. Sed hæc sola est cognitio fidei: ergo. Nec dicas Philosophum Christianum habere maiorem certitudinem, non formaliter: quia non habet actum, qui moveatur ex motivo fidei; sed derivativè à fide. 1. Quia non bene percepitur qualis sit hic modus derivatus à fide circa existentiam Dei in non credente existentiam Dei. 2. Quia certitudo scientiæ ab hoc habita esset clara ex se, & obscura derivativè à fide. Si ergo idem actus potest habere certitudinem claram, & obscuram ex diversis medijs: cur in eodem intellectu non poterit dari circa idem obiectum actus clarus, & obscurus per diversa media?

Vega

32 Vega lib. 6. io Trid. cap. 21.
 dicit, in Philosopho Christiano dari
 locum fidei cū ea evidētia; non quoad
 assensum intellectus; sed quoad piam
 affectionem voluntatis, & præparatio-
 nem animi ad assensum, et si non sit evi-
 dens ea veritas. *Contra*: Paul. & Trid.
 Sess. 6. cap. 6. verè, & propriè requi-
 runt fidem: *Accedentem ad Deum opor-*
ter credere quia est. Sed pia affectio, &
 præparatio animi impropriè dicitur
 fides; quia actus voluntatis impropriè
 dicitur actu; intellectus, præcipue in
 materia adeò scrupulosa; ergo non be-
 nè sic explicantur verba Paul. & Trid.
 Ideò Sotus, qui prius tenuerat hanc
 sententiam, benè illam retractavit.

SECTIO IIJ.

Aliæ probationes;

53 Rob. 1. Potest dari cog-
 nitio obscura simul cum
 cognitione clara circa idem obiectum;
 ergo possunt dari scientia, & fides circa
 idem obiectum. Prob. ant. Qui videret
 Petrum à longè ita ut sciret esse Pe-

trum, & Iosannem, non tamen disceret, an esset Petrus, cognoscere et confuse Petrum. Sed tunc posset cum cognoscere simul clare: ergo. Prob. min. Tunc posset facere hunc discursum evidenter, *Ille est Petrus, vel Iohannes. Sed non est Iohannes: quia est ager, vel simili ratione: ergo.* 2. Philotophus Christianus cognoscit evidentiter existentiam Dei Authoris naturæ. Sed si actus fidei est obscurus, potest simul cognoscere obscure existentiam Dei Authoris naturæ: ergo. Probat. min. Potest simul cognoscere cognitione fidei obscura esse revelatam existentiam Dei Authoris naturæ. Sed per hanc cognitionem cognoscit obscure (non dico credit; sed cognoscit) existentiam Dei Authoris naturæ: ergo. Minor, quæ probata manet sect. ant. impugnatione §. contra Palancs, & Rios. Prob. Hæc cognitione revelata est existentia Dei Authoris naturæ, aliquo modo cognoscit existentiam Dei: quia eam attingit, & de ea affirmsat esse revelatam, & ea est subiectum huius affirmationis, ideoque directè, vel indirectè, ut volis, debet cognoscere existentiam Dei Authoris nat-

turæ.

tutæ. Sed per hunc actum non cognoscit existentiam Dei clare: ergo cognoscit existentiam Dei obscure.

34 Confirm. Philosoph. Christ. simul cum scientia Dei Authoris naturæ, potest simul cognoscere, omne revelationum à Deo esse verum; & esse revelatum à Deo esse Authorem naturæ. Sed tunc potest cognoscere, immo cognoscit obscure Deum esse Authorem naturæ: ergo. Prob. mia. Cognitio universalis est cognitio singularium, quoties constat cum morali certitudine singularia contineri in universalis: quia cognitio universalis est formaliter distributiva, & hoc est revelatum à Deo. Sed Philosopho Christiano, simul cum cognitione universalis constat hoc singulare contineri in illa universalis: ergo. Confirm. 2. Iuxta plures ex Thomistis, præcipue Palanco, & Rios, non potest dari scientia revelationis, quin clare cognoscatur obiectum: ergo neque poterit dari cognitio obscura revelationis revelantis existentiam Dei Authoris naturæ, quin detur cognitio obscura Dei Authoris naturæ. Prob. cons. quæ videatur bona. 1. Quia si scientia revelationis refert, vel importat scientiam obie-

objecti : cur cognitio obscura revelationis non inferat, vel importabit cognitionem obscuram objecti? 2. Si cognitio obscura objecti excludit scientiam revelationis, cur scientia objecti non excludet cognitionem obscuram revelationis?

25 Probat. 3. Philosoph. Christ. possunt proponi simul medium fidei, & medium scientiae circa existentiam Dei Authoris naturae v. gr. Sed tunc posset intellectus simul moveri ex utroque melio, & consequenter habere actum scientiae, & fidei: ergo. Mai. conceditur. Prob. min. In primis medium fidei non impediret medium scientiae: quia medium scientiae cum necessario moveat, prævenit fidem, quæ provenit à libertate. Sed nec medium scientiae impedit medium fidei, ne moveat; ergo. Prob. min. Quia medium fidei est efficacius, quam medium scientiae, & est omnino anteponendum medio scientiae, præcipue si urgeat præcepium credendi pro habenda iustificatione. Confirm. Si tunc unum medium impedit aliud, esset, quia per unum videret objectum, & per aliud non videret. Sed non repugnat simul dari, videre objectum

Etum per vnum medium, & per aliud non videre: ergo. Prob. min. Nulla est repugnantia, quod idem intellectus per diversa media videat, & non videat idem obiectum: ergo. Prob. ant. Intellectus per medium scientiae videt obiectum; & per medium opinioonis non videt. Sed nulla est repugnantia, quod intellectus per medium scientiae videat; per medium diversum opinioonis non videat obiectum: ergo. Prob. min. ex Div. Thom. I. 2. quæst. 67. artic. 3. Potest unus homo cognoscere eandem conclusionem per medium probabile, & demonstrativum. In 3. dist. 3 t. quæst. 2. artic. 1. ad 4. ubi idem affirmat, & præbet rationem, *Opinio, & scientia, quamvis sint de eodem; non tamen secundum idem medium, & ideo possunt esse simul.* Clarius. Opinio, & scientia per diversa media possunt coniungi circa idem obiectum: quia licet sit de eodem, non tamen secundum idem. Sed scientia, & fides per diversa media erunt de eodem; non tamen secundum idem: ergo possunt coniungi.

36 *Confirm.* Quando concurrence duæ causæ non se impediunt in ordine ad suos effectus frequentè loquendas;

sed si sunt eiusdem rationis producunt eundem effectum; si sunt diversæ rationis producunt diversum effectum. Sed medium scientiæ, & medium fidei sunt dux causæ distinctæ: ergo non se impediunt in ordine ad suos effectus. 2. Si duo luminaria simul ponantur in uno cubili, non se impediunt ad producendū suum effectum. Sed medium fidei, & medium scientiæ sunt duo luminaria respectu intellectus: ergo non se impediunt: Ratio, quæ dari posset, videtur preventa in fine numeri antecedentis ex verbis, & ratione D. Tho.

37 Dices cum Doct. Rios, quod in 3. supra non locutus est D. Thom. ex propria sententia, sed ex sententia, & ut Commentator Magistri. Quod inde patet: quia in summa, ubi loquitur ex propria sententia, clare dicit non posse coniungi, ut constat ex 2. 2. quest. 1. artic. 5. De eadem secundum idem non potest esse simul in eodem hominе scientia nec cum opinione, nec cum fide. Et 1. 2. quest. 67. artic. 3. Impossibile est, quod cognitio perfecta, & imperfecta ex parte subjecti sint simul in eodem subiecto. Et ibi dicit fidem, & opinionem esse cognitiones imperfectas, ut ex se constat. Con-

38 Contra: In primis hæc solu-
tio iam concedit Magistrum esse pro
nostra sententia: & concedit aliqualem
facultatem, ut sicut D. Thom. dederit
Magistrum, nos eius venia non sequan-
tur in hoc puncto D. Thom. 2. Quia
ut refert Bellarmin. de Scriptoribus
Eccles. Aliqui dubitant quænam pars
primæ secundæ, & secundæ secundæ.
sit D. Thom. Quia ut ipse ait: *Mirum*
est valde, quod magna pars 1.2. & 2.2.
inveniatur eisdem verbis in 1. & 3.
libro Speculi moralis Vincentij Bellouae-
censis, & quidem non videatur Vincenti-
us potuisse speculum suum morale con-
ficeret ex doctrina, & verbis S. Thome,
cum ipse obierit anno 1256. ut testatur
Anton. Senensis ex Vafao in Bibliotheca
PP. Predicatorum. Ipse excusat exculpa-
tione digna suæ pietatis, quæ apud ip-
sum videri potest; sed quæ relinquit
rem dubiam: ergo dubium est, an hæc
sit sententia propria D. Thom. 3. Quia
*1. 2. quæst. 67. artic. 3. dicit: Impe-
fibile est, quod cognitio perfecta, & im-
perfecta ex parte mediæ convenient in*
*uno modo; sed nihil prohibet, quod con-
veniant in uno obiecto, & in uno subiec-
to: potest enim unus homo cognoscere*

eandem conclusionem per medium probabile, & demonstrativum. Et 3. part. quæst. 9. artic. 3. ad 2. Opinio ex syllogismo dialektico causata est via ad scientiam; quæ per demonstrationem adquiritur, qua tamen adquisita potest remanere cognitio, quæ est per syllogismum dialecticum, quasi consequens scientiam demonstrativam. 4. Quia quid prohibet, quod aliquis dicat, ecce venit Petrus, & alter credens advertat, & videat Petrum venire. Sed coniungitur fides, & opinio cum scientia: ergo possunt coniungi. Mitto alias impugnationes, quæ hoc veniunt, præcipue impugnationem quintam contra responsa Paulano, & Rios supra sect. antec. & confirmationem probationis 1. huius sect.

39 Prob. 4. Iuxta D. Thom. hic quæst. 1. artic. 3. potest dari actus scientiæ, quo assentiamus, Deum esse Unum, simul cum actu fidei, quo credamus Deum esse Trinum. Nunc sic. Per hos actus non solum attingitur prædicatum unitatis, & Trinitatis; sed etiam subiectum Deus. Sed ex his actibus alter est clarus, & alter obscurus; alter est scientiæ, & alter fidei:

ergo circa idem subiectum potest dari actus clarus, & obscurus; actus scientia, & actus fidei. *Confirm.* cavendo solutionem. Idem subiectum esse clarum, & esse obscurum modo dicto relatè ad diversa prædicata non dicit oppositionem: ergo nec dicit oppositionem idem subiectum esse clarum, & esse obscurum relatè ad diversa media. Prob. conseq. Minus eiusdem de eodem sunt esse clarum, & esse obscurum relatè ad diversa media; quam esse clarum, & obscurum relatè ad diversa prædicata: quia magis distincta sunt diversa media, quam diversa prædicata: siquidem diversa media distinguuntur realiter: & diversa prædicata solum distinguuntur virtualiter. Sed prædicata, quæ sonant oppositionem, ut esse clarum, & esse obscurum minorem oppositionem dicunt, quoties sunt relatè ad extrema magis distincta: ergo si non dicit oppositionem idem subiectum esse clarum, & esse obscurum relatè ad diversa prædicata, non dicet oppositionem idem subiectum esse clarum; & esse obscurum relatè ad diversa media. Prob. min. Ideò esse animal, non esse animal, non dicunt opposi-

tionem relate ad Petrum , & lapidem ;
 & dicunt oppositionem relatè ad prin-
 cipium sentiendi , & principium dis-
 cursus : quia Petrus , & lapis distin-
 guuntur realiter ; & principium sentien-
 di , & principium discursus in homine
 ad sumum distinguitur virtualiter : ergo .

40 Dices : Subiectum earum pro-
 positionum *Deus est Unus* ; *Deus est*
Trinus , non esse idem formaliter : quia
 in prima subiectum est Deus , ut Au-
 thor naturalis ; in secunda est Deus , ut
 Author supernaturalis . *Contra* : Quia
 D. Thom. supponit convenientiam
 formalem subiecti , & solum disputat
 de eodem subiecto relatè ad diversa
 prædicata . 2. Deus ut Author natu-
 ralis Theologicè loquendo , est subie-
 ctum huius propositionis : *Deus est*
Trinus : ergo solutio est nulla . Prob.
 ant. Deus solum est , & intelligitur , ut
 Author supernaturalis Theologicè lo-
 quendo , quatenus est provisor rerum
 supernaturalium . Sed in hac proposi-
 tione *Deus est Trinus* , non potius in-
 telligitur provisor rerum supernatu-
 ralium , quam naturalium : ergo .
 3. Subiectum non definit esse formaliter
 idem ex eo , quod de ipso prædi-

centur prædicata per rationem, immo virtualiter distincta: ergo subiectum Deus non definit esse formaliter idem ex eo, quod de ipso prædicentur esse Unum, & esse Trinum, que sunt virtualiter distincta. Prob. antec. subiectum Homo non definit esse idem formaliter, ex eo quod de ipso prædicetur esse animal, esse rationale: ergo.

41 Prob. tandem. Quamvis in hac providentia non possint coniungi visione Dei, & fides meritoria, non repugnat Deum dare in præmium actus contritionis iustificantis peccatorem, & consequenter regulati per fidem visionem in eodem instanti talis actus: quia D. Thom. supra solum dicit, non esse necessariam fidem, posita contemplatione Patriæ: quod autem non sit necessaria, non arguit, non posse dari ex natura rei, immo arguit posse dari. Sed tunc coniungeretur fides cum visione: ergo possunt coniungi. Prob. mai. Deus potest præmiare dando gloriam in eodem instanti meriti: ergo potest præmiare dando gloriam in eodem instanti meriti. Confirm. Sicut voluntas potest esse indifferens pro signo priori, & determinata pro signo posterius

riori, & actus liber potest esse possibiliis pro signo priori, & impossibilis pro signo posteriori, ita idem intellectus potest esse obscurus pro signo priori, & clarus pro signo posteriori: ergo cum fides præcedat ad præmium visionis, potest Deus ex natura rei conferre in præmium fidei meritoria gloriæ in eodem instanti meriti.

SECTIO IV.

Solvuntur argumenta.

42

Obijc. I. Fides non solum est positivè obscura ex medio fidei; sed etiam privativè obscura, seu nullam permittit claritatem in obiecto: ergo falsa est nostra conclusio. Prob. ant. Ad Hebræos 11. *Fides est argumentum non apparentium.* Quæ verba cum definiant fidem actualem, debent eam explicare per prædicta essentia fidei. In quæ verba ait Chrysostomus: *Si fides est argumentum non apparentium, quid est quod vultis eam videre, ut excidatis à fide?* Gregor. homil. 26. *Fides earum rerum argumentum est, quæ apparere non possunt, quæ*

spiritum

enim apparent iam non habent fidem , sed agnitionem. Confirm. Ex Aug. tract. 40, in Ioan. Quid est enim fides, nisi credere quod non videt. Ex Bernardo lib. 5. de Considerat. cap. 6. Fides est volta & ria quaedam prælibatio nondum propalata veritatis. Ex D. Thom. hic quest. 1. art. 4. dicente : Fidem esse de non visis & art. 5. Fidem esse de non scitis. Confirm. 2. in illa Ioan. 20. Quia vidisti me Thomas credidisti , ait Greg. hom. 26. Vnum vidit , & aliud credidit ; quasi supponat, obiectum fidei non posse esse simul creditum , & visum adhuc per sensus.

43 Hæc gravia sunt ; sed quæ iuxta omnes indigent explicatione. Resp. neg. ant. Ad prob. dist. antec. Fides est argumentum non apparentium, evidentè moraliter per medium fidei, & penetrantis signa credibilitatis, neg. ant. Fides est argumentum non apparentium, aliunde, attentis sensibus , vel attentatione naturali , seorsim à signis credibilitatis , subdist. frequentè loquendo, conc. ant. absolute loquendo, neg. ant. Itaque , quæ creduntur fide debent apparere evidentè moraliter penetrantibus argumenta credibilita-

tis, ut constat ex dictis scđt. 1. & ex dis-
put. 3. Quia mysteria fide credenda
sunt moraliter evidētia, & sunt evi-
dētē credibilia. Et constat ex Luc. 4.
vbi de dœmonibus penetrantibus ar-
gumenta credibilitatis dicitur: *Non si-
n. bat eos loqui: quia sciebant ipsum esse
Christum.* Et loquendo de Apostol. &
Discipulis, penetrantibus argumenta
credibilitatis, dicitur: *Nos adoramus,
quod scimus.* Ioan. 4. Et ibi loquendo
de Samaritanis, dicit: *Samaritanos, dum
iam audierant Christum, & viderant ar-
gumenta, dicere Samaritanae: Iam non
propter tuam loquendam credimus: ipse
enim audivimus, & scimus, quia hic est
verè Salvator mundi.* Sed ly scimus, ut
minimum probat scientiam moraliter
evidētēm mysteriorum fidei: ergo
mysteria fidei penetrantibus argumen-
ta credibilitatis sunt moraliter evi-
dētia.

44 Verum est, quod frequentē
loquendo mysteria fidei nob̄ apparent
aliunde, quam per medium fidei, nec
evidētē physice, nec metaphysice; &
cum iuxta Phil. *Quod frequentē acci-
dit hoc esse dicimus.* Ideo dicitur fidem
esse non apparentium, id est, non ap-
parens

parentium phisicè , nec metaphysicè ,
nec evidentè moraliter , aliter quam
per medium fidei. Aliquando tamen
fides est de rebus aliundè apparentibus ,
v. gr. de existentia , sapientia , & poten-
tia Dei : ideoque verba Pauli non con-
tinent rigorosam definitionem fidei .
Sicut ideo Paulus dicit ibi , fides est
sperandarum substantia rerum. Et fides
aliquando est de rebus timendis , v. gr.
de morte , iudicio , & inferno : aliquan-
do de rebus præteritis , ut de passione ,
& morte Christi , &c. Sicut ergo hæc
verba non continent rigorosam defi-
nitionem fidei , ita eam non contine-
bunt verba immediata illis . Sicut etiam
i. Corinth. 13. dicit de Charitate ,
Non querit , quæ sita sunt: non quia pos-
simus amare vera charitate bonum pro-
prium ; sed quia frequentè amatur bo-
num aliorum . Chrysost. & Gregor. in
hæc verba arguebant contra quosdam
tolentes credere nisi ea , quæ priùs ra-
tione naturali demonstraverant . Ex i.
ad Corinth. 1. *Iudei signa petunt , &*
Graci sapientiam querunt. Quæ hæresis
anno 1144. renovata est à Petro Abai-
lardo , & Arnaldo Brixiensi , vt refert
Bern. epist. 190. Ille tamen resipuit , &c.

Sancte obijt , telle Petro Cluniacense lib. 5 . epist. 3 . & hoc recte vocat ex-
cidere à fide : quia fides petit assensum
firmum etiam circa ea , quæ apparent
contra sensum ; & rationem naturalem
seorsim , à medio fidei . Non verò in-
tendit Chrysost. quod fides debeat esse
positivè obscura ex medio fidei ; nec
quod obiectum credendum debeat esse
positivè obscurum ; potius denuntiat
Chrysost. quod obiectum credendum
debet esse clarum ex medio fidei , ut vi-
detur constare ex his , quæ diximus ex
ipso lect. 1 . in oratione contra Gent.
cuius titulus est : *Adversus Gentiles de-
monstratio* , quod Christus sit Deus . Et
ibi : *Hinc autem faciemus demonstratio-
rem veritatis Christi , ut ostendamus ip-
sum esse Deum.*

45 August. loquitur de his , quæ
frequentè accidunt . quia quæ frequen-
tè creduntur nec apparent physicè ,
nec metaphysicè ; nec aliter , quam per
medium fidei , & argumenta credibili-
tatis . Similitè explicanda sunt verba
Div. Bernard. De Div. Thom. iam di-
ximus esse contra nos ; sed eius venia ,
& eius dictis munitos defendere no-
stram sententiam illa Ioan. *Qui vidisti*
me

me Thoma credidisti, attenta litera, potius probant fidem coniungi cum visione: ideo clare indicant fidem ex se esse magis meritoriam, quando est de rebus non apparentibus ratione naturali; qui verò exigeret habere prius scientiam ad credendum non haberet meritum fidei, quia non habet Fidem; sed agnitionem. Dum fides coniungitur cum scientia naturali fides habet meritum: quia meritum fidei consistit in assentiendo, quia Deus dicit, tanta firmitate, ut licet sensus, & ratio naturalis reclamarent in opportum seorsim ab argumentis credibilitatis assentirentur propriæ revelationem Dei sufficienter apparentem. Quia tamen, ut diximus, fides rerum non apparentium, ex se est magis meritoria, quam rerum apparentium per sensus; ideo Sancti PP. et si Evangelium dicat, quod Thomæ credidit, quia vidit, addunt in laudem Thomæ, quod etiam alia credidit, quæ non vidit.

46 Obijc. 2. Div. Petrus ad illa quæ adduximus, 2. Petri 1. *Quasi lucerna lucens in caliginoso loco, addit immediate, donec dies elucescat, & Lucifer oriatur. In quæ Div. Thom. Seilicet*

clarus intellectus secundum Glossam; non enigmaticus. Et lect. 1. in Hebr. 11. Fides duplicitè accipitur: uno modo propriè, & sic est non visorum, & non scitorum. Confirm. Ex Dionys. de Mystica Theologia: Non nisi per sacra caligini tenebras humanae videntes, nec possunt, nec debent divina contemplari mysteria. Ex Athanasio, de salutari Christi adventu, contra Apollinarium: Non enim fides de re evidenti concepta fides dici poterit. Ex Theophil. in Hebr. 11. Argumentum non apparentium: Fides est ostensio rerum in conspectum non venientium. Ex Propter. in lib. sent. August. Fides semper prævenit visionem: fides ergo est, quod non vides, credere. Ex Glossa in illa ad Roman. 1. Ex fide in fidem, ait: Fides propriè est, qua creduntur, quæ non videntur.

47. Resp. Fidem verè esse lucem, & lucem, quæ non confunditur, nec comprehenditur tenebris, ideoque est lux positivè clara ex medio fidei; quævis circa eius obiectum frequentè non detur claritas ex alio medio: hæc tamen lux comparata divino lumini non est lux, sed tenebrae: sicut Ioan. 1. Non erat lux, comparatus lumini Christi:

& ita intelligenda est Glossa. De Div. Thom. diximus, oppositum sentire, et si eius dictis muniti defendamus nostram sententiam. *Ad confirm.* Div. Dionysius intendit, non esse querendam scientiam naturalem, ut quærebant Græci, *Græci sapientiam querunt.* 1. Co-
rinth. 1. ut credamus mysteria, *Quia nec possunt, nec debent credi mysteria,* si ad credendum exigatur præcedere hanc scientiam, ut diximus: quia appa-
rente sufficienter revelatione Dei, de-
bemus credere firmiter, quin exspecte-
tur aliunde scientia physica, aut meta-
physica; imò etsi in contrarium recla-
ment sensus, & ratio naturalis. Hoc ta-
men non tollit, quod per medium fidei
appareat clare mysterium, adçò ut
Theophil. in Hebr. 11. dicat, *Fides est
ostensio rerum in conspectum non venien-
tium.* De quo sect. 1. Nec tollit, quod
multa credamus, quæ aliunde appa-
rent; etsi frequenter loquendo myste-
ria credenda non aliunde apparent,
quam per medium fidei.

48 Ad verba Athanasij similiter
dicendum est, non esse fidem eam, quæ
~~exiget~~ ^{nam} evidentiter adhuc moraliter
apparere, aliunde quam per medium
fidei;

fidei; de re tamen evidenti possumus habete fidem ut eam habuit B. V. & Apostoli de Passione, Morte Christi, & Resurrectione: & eam debet habere Philos. Christian. de existentia Dei Auteris naturæ, *Oportet credere quia est.* Theophil. potius est pro nobis; quia dicit, res aliunde non apparentes frequenter loquendo, offendit per fidem, quo degotat fidem esse claram, & consequenter non esse cur non possit coniungi cum actu scientiae, et si frequenter non coniungatur similiter intelligendi sunt Prosper. & Chiffa, scilicet, frequentiter loquendo, credi per fidem, quæ non videntur: & vi cuius parati sumus credere non solum, quæ alium de non videntur; sed quæ attentis sensibus, & ratione naturali videntur repugnare: plura tamen credimus, quæ ratione naturali videntur: & plura crediderunt B. V. & Apostoli, quæ videntur per sensus. Similiter intelligenda sunt verba Nacianc. orat. 2. de Theologia, Hilar. lib. 8. de Trinit. ante medium, Ambros. lib. 1. de Abraham, cap. 5. Bedæ, Anselmi, & aliorum apud Suarez disput. 3.

sect. 9.

SECTIO V.

Solvuntur obiectiones à ratione,

49

Obje. 1. Implicitat intellectum simul videre, & non videre, idem obiectum etiam per diversa media. Sed si coniungentur scientia cum fide, intellectus simul videret idem obiectum, & non videret licet per diverse media: ergo. Magis constat: quia duo contradictoria non possunt dari simul etiam per diversa media. Prob. min. Quia intellectus videret obiectum per actum scientiae; & non videret per actum fidei. Argumentum probat non posse coniungi actum confusum, *Homo* v. gr. cum actu discreto *Petrus*: quia idem intellectus simul discerneret, & non discerneret idem obiectum: quia per hunc actum *Petrus* discerneret Petrum; & per hunc, *Homo* non discerneret Petrum. Nec posset coniungi actus, qui sit definitum v. gr. *Homo*, cum definitione formalis, *animal rationale*: quia intellectus simul cognoscere clare; & non cognosceret clare: quia cognosceret clare per

per hunc actum animal rationale, & non cognosceret clarè per hunc Homo. Similiter non posset cognoscere idem obiectum intuitivè in se, & abstractivè in alio: quis cognoscet in se, & non cognosceret in se. Similiter non posset coniungi actus liber cum actu necessario: *Quia amaret libere, & non amaret libere.* Nec actus efficax cum inefficaci, nec cum simplici complacentia: *Quia amaret efficaciter, & non amaret efficaciter.* Nec possent coniungi alia, quæ diximus in notabilibus.

50 Resp. dist. mai. quoad secundam partem. Implicat intellectum simul videre, & non videre privativè idem obiectum, seu per negationem omnis visionis, conc. mai. & non videre idem obiectum respectivè, seu praeceps per negationem, ad summum, unius visionis, neg. mai. & dist. min. & non videret respectivè, seu ad summum per negationem unius visionis, conc. min. & non videret privativè, seu per negationem omnis visionis, neg. min. & conseq. Maier probationis est certa: verum sicut non opponuntur contradictorie lucem ingredi in cibile per fenestram; & non ingredi per ianuam: & in casibus

fibis immediatè positis : *Quia non ingressi lucem per ianuam, non dicit negationem omnis ingressus lucis , nec non ingressum privativum lucis ; sed solum non ingressum respectivum , & ad summum negationem vnius ingressus : si militè accidit in nostro casu , de quo infra.*

51 ¹ Insistunt RR. Thomistæ. Implicat intellectum absolutè clare cognoscere , & absolutè obscure cognoscere simul idem obiectum . Sed si coniungerentur scientia , & fides , intellectus absolutè clare cognosceret , & absolutè obscure cognosceret idem obiectum : ergo. Prob. min. quoad secundam partem. Implicit fidem existere in intellectu , quin reddat illum obscure cognoscentem absolutè : sicut implicit scientiam existere in intellectu , quin reddat illum clare cognoscentem absolutè : quia non minorem vim habet fides obscura ad reddendum intellectum obscure cognoscentem , quam scientia ad reddendum intellectum clare cognoscentem. Confirm. Palanco. Fides est lucerna lucens in caliginoso loco. Sed hoc ipso debet privare intellectum omnī claritate : ergo est priyativè obscura.

Prob.

Prob. min. Ut intellectus sit locus caliginosus, nulla via debet habere lucem: quia non bene diceretur cubile esse caliginosum, eo quod non ingrediatur lux per ianuam, si ingreditur per fenestram. 2. Cum fides sit obscura, aliqua luce, & claritate privat, modo distincto ab actibus voluntatis, qui solum sunt negativè obscuri; quia repugnat eis claritas. Sed non privat luce, & claritate, quæ à fide provenit, ut patet: ergo privat claritate, quæ per aliud medium provenire posset.

52 Argumentum probat simili forma ea, quæ ad argumentum antecedens retulimus coniungi posse. Itaque probat non posse coniungi cognitionem intuitivam cum abstractiva; cognitionem confusam cum discreta, & alia, ut constat simili forma facile applicabili. *Resp. dist.* ly absolute obscure cognoscere claritatis gratia. Abolute obscure cognoscere per negationem omnis claritatis, seu per privationem omnis claritatis, conc. mai. absolute obscure cognoscere per negationem solum unius claritatis, seu claritatis per unum medium, neg. mai. & dist. min. quoad secundam partem. Cognosceret
abso-

absolutè obscure per negationem unius claritatis, seu claritatis per unum medium, permixto min. per negationem omnis claritatis, neg. min. & cons. &c dist. similiter ant. probationis, tam circa obscuritatem fidei, quam circa claritatem scientiarum, quæ solum reddit obiectum clarum aliqua claritate; non omni claritate per unum medium; non per omne medium, & in eodem sensu excludit obscuritatem. Solutio constat ex dictis, & præcipue in nostra sententia, dicente fidem esse positivè claram.

53 Ad confirm. Conc. mai. neg. min. Ad prob. In primis probat, quod intellectus nulla via debet habere lucem, & quod fides nec lucet, nec est lucerna, neque lux, ut applicanti formam constabit. Dist. mai. Ut intellectus sit omnino caliginosus nulla via debet habere lucem, conc. mai. ut sit respectivè caliginosus, neg. mai. & similiter explico subsumptam probationem. Itaque iam diximus, quod frequentius loquendo intellectus creditur, quæ non scit, & frequentius est caliginosus aliundè, quam per medium fidei: quia frequentius, si non esset medium fidei in caligine esset; cum neque sen-

sensus, neque ratio naturalis ostendat obiectum creditum; aliquando tamen, seu aliqua obiecta credita ostenduntur per rationem naturalem; & omne obiectum credendum ostenditur per medium fidei, ut latè probavimus sest. 1. licet non ostendatur evidentia physica, nec metaphysica. Et dato quod fides esset positivè obscura, non esset caliginosus intellectus caligine excludente omnimodam claritatem; sed solum caligine excludente claritatem respectivam, seu per medium fidei, quæ permittit claritatem per aliud medium.

Ad 2. dist. mai. Aliqua luce, & claritate privat, quæ sit propria privatio, seu privatio omnis lucis, neg. mai. alias non esset lux. Quæ sit privatio, seu potius negatio alicuius lucis præcisè, conc. mai. & hinc patet disparitas ad actus voluntatis, qui neque claritatis, neque lucis sunt capaces, & conc. min. neg. cons. Itaque fides solum potest dici, ad summum, privare luce, quatenus ipsa non est evidens physicè, nec metaphysicè, nec potest habere hanc claritatem.

54 Obijc.2. Lux Stellæ, & Lunæ non illuminat coram Sole: ergo nec lux

Lux fidei coram luce scientiæ. Probat. cons. Ideò primum est verum; quia lux remissa non componitur ex natura rei cum luce intensa: ergo. *Resp.* neg. ant. Quia aliud est, quod non discernatur illuminatio Stellaræ, & Lumen coram Sole, qui præ sua magna luce confundit quamvis aliam illuminationem: aliud est, quod non illuminat in sua sphæra: quia ut potè agentia necessaria producunt lucem, adeòque illuminant: & neg. cons. Quia fides diverso modo, & utiliori, & firmiori illuminat, quam scientia naturalis: ideoque potest illuminare ad præsentiam illius. Et simili- tèr illuminare potest suo modo ad præsentiam intuitionis, præsertim si Deus Beatis iubeat fidem, ut potest.

SECTIO VI.

Solvuntur obiectiones.

55

Obijc. 3. Formæ tribuentes effectus privativè, & contrarie oppositos nequeunt coniungi. Sed tales sunt scientia, & fides: quia scientia reddit intellectum clare cognoscentem, & ita determinatum ad

De Fide. II.

S

assen-

assentiendum, ut dissentiri non possit; fides reddit intellectum obscure cognoscentem, & non ita determinatum ad assentiendum, ut dissentiri nequeat: qui effectus sunt oppositi, nec valet dicere hos effectus haberi per diversa media: quia quod nō tollit oppositionem formarum, non tollit earum repugnatiā: diversitas autem mediorum non tollit oppositionem formarum: ideo lux, & tenebræ non possunt coniungi etiam per diversa media: neque fides, & hæresis, assensus, & dissensus. *Resp.* Fidem, & scientiam non tribuere effectus privativè, neque contrarie oppositos: quia aliud est quod idem actus non possit tribuere illos effectus; de quo postea: aliud quod effectus sint oppositi: scientia naturalis non potest reddere intellectum beatificè, neque supernaturaliter cognoscentem; & sciētia naturalis coniungi potest cum cognitione supernaturali, & beatifica, ut coniungebatur in Christo: Humanitas non est sancta per se ipsam, & coniungitur cum gratia reddente illam sanctam: & sic de innumeris alijs: cum ergo fides non reddat intellectum obscure cognoscentem absolutè; sed ad sum-

mum

mum præcisivè modo dicto; hoc est, fides divina non petit repræsentare obiectum tam clare, quam scientia; sed solum evidentè moraliter: hinc est, hos effectus non esse privativè oppositos, ut clarius vidimus in notabilibus.

56 Ad id quod additur cavendo solutionem dico: Nos non dicere, illos effectus, quamvis oppositos coniungi posse, quia habentur per diversa media; sed dicimus, illos effectus non esse oppositos, & ideo asserimus posse coniungi saltem in diversis actibus: ut patet in actu efficaci, & inefficaci; libero, & necessario; & alijs suprà datis, cum autem tenebræ, & lux sint contradictoriè oppositæ: quia tenebræ dicunt carentiam lucis; & assensus, & dissensus, fides, & hæresis sunt contrarie oppositæ, ideo non possunt coniungi adhuc per diversa media. Adverte posita scientia, potest quis non assentiri mysterio assensu fidei; dissentire tamen non potest: quia non possunt coniungi assensus, & dissensus: itaque tunc solum datur libertas contradictionis ad assensum, & non assensum fidei; non verò libertas contrarietatis. Adverte 2. Iudicium certum coniungi posse cum

incerto, id est, probabili, seu dubio radicaliter tali; non vero cum dubio actualiter, seu formaliter, seu reduplicative tali, seu absolute ut tali: quia esse absolute dubium, &c. Non dicit solum actum directum incertum, in quo consistit dubium radicale; sed actu reflexum iudicantem, forte obiectum actus directi non est ita: quod iudicium coniungi non potest cum actus certo.

57 Obje. 4. Spes nequit esse de re intentionaliter possessa, iuxta Paul. ad Roman. 8. *Quod vider quis, quid sperar?* ergo neque fides circa rem visam: nam sicut spes est de obiecto absentia, ita fides de obiecto latenti. *Explicat.* Quia spes est motus ad possessio- mem rei, nequit tendere in obiectum; ut possessum; sed fides est motus ad visionem iuxta Paul. *Per fidem ambulamus:* ergo nequit esse circa obiectum visum. *Resp.* dist. ant. Spes nequit esse de re intentionaliter possessa pro priori, conc. ant. quia cum spes sit motus, & connatus; ridicule connaretur rem iam possessam: pro posteriori tamen potest cognosci possessa, quia haec cognitio non impedit connatum. Cum autem

tem fides non sit motus ad scientiam;
 sed ad intuitivam solius Dei, & ad hanc
 non sit motus per modum connatus;
 sed per modum meriti; quid mirum,
 quod possint coniungi cum scientia
 intuitiva advenienti pro posteriori; &
 cum abstractiva quomodo libet: quia
 fides solum est de obiecto latenti ratio-
 nem naturalem ad sumum: & ad sumum
 in viatore latenti, seu non apparenti
 per visionem beatam pro priori ad fi-
 dem. Dixi ad sumum: quia in Beatis
 potest dari fides non meritoria post
 visionem Beatam: & in Christo datur
 fides meritoria post visionem Beatam,
 & ut dicemus disp. sequenti potest da-
 ri fides cum evidentia in attestante,
 qua sit evidens in se obiectum: & con-
 sequenter non est de ratione fidei om-
 nino absolute loquendo, quod sit ob-
 sequiosa, & libera; sed solum talis est
 fides frequenter habita à viatoribus.
 Et hinc patet ad explicationem.

58 Obijc. 5. Implicat intellectum
 esse necessitatum, & liberum ad assen-
 tiendum eidem obiecto. Sed intellec-
 tus est necessitatus ad assentiendum
 obiecto, quod clare cognoscit; & li-
 ber ad assentiendum obiecto, quod cre-

dit : ergo implicat coniungi actus scientiæ , & fidei. Minor quoad secundam partem constat : quia fides indiget imperio ad assentiendum , quo non indigeret , si esset necessitatus ad assensum. Argumentum instatur in actu amoris libero , vel necessario , & in alijs positis in notabilibus. *Resp.* dist. mai. Implicat intellectum esse necessitatum , & liberum ad assentiendum eidem obiecto eodem actu , & mortivo , conc. mai. Diversis actibus , & motivis , neg. mai. & dist. min. neg. conseq. quia intellectus est necessitatus ad assentiendum ex motivo scientiæ , & per actum scientiæ. Est tamen liber ad assentiendum ex motivo fidei , & per actum fidei frequenter loquendo.

59 Obijc. 6. Ex Anton. Perez.

Quando unus actus est ordinatus ad supplendum pro alio , non possunt coniungi : sic quia conspicilia ordinantur ad supplendam potentiam visivam , invtilia sunt ; & nocent , quando potentia visiva est expedita : sic quia pignus ordinatur ad assecurandum de futuritione rei , invtiliter datur ad assecurandum de re , quæ habetur. Sed fides ordinatur ad supplendum pro visione :

quia

quia quando obiectum per se non sufficit ad assecurandum de eius existētia, interponitur testimonium humanum, vel Divinum, ut pignus ad illam assecurandam: ergo fides non potest coniungi cum visione. *Conf.* Esforz. Authoritas loquentis adhibetur ad obtinendum assensum. Sed hæc frustra adhiberetur, ubi ex necessitate præbendus esset assensus præ evidentia: ergo saltem connaturaliter non possunt coniungi. *Prob.* min. Quia frustra daretur præceptum ad opus alijs ex necessitate præstandum. 2. Quia natura non prævidit assensus obscuros, nisi ad supplendum pro scientia.

60 *Resp.* dist. mai. Quando unus actus est ordinatus impropriè, & non ex natura sua ad supplendum pro alio, non possunt coniungi, neg. mai. quia supplere impropriè est gerere aliqui munus, quod gerit alter: & cognitio abstractiva, in hoc sensu supplens pro intuitiva coniungi potest cum illa. Quando unus actus est ordinatus ad supplendum propriè, & ex natura sua pro alio non possunt coniungi. *Subdist.* naturaliter, conc. supernaturaliter, neg. sic quia species supplet pro ob-

iecto, si obiectum immediate concurrit, naturaliter superfluit species; potest tamen dari supernaturaliter. Cum verò fides solum impropriè suppleat pro visione, quia non est vnicè destinata ad supplendum pro visione adhuc intuitiva: servit namque, & præcipue ad regalandos actus meritorius, ad quos non servit visio beata, neque cognitio evidens naturalis; imò nec tam benè serviret alia cognitio supernaturalis: quomodo erit fides propriè, & per se destinata ad supplendum pro visione, quamvis aliquid faciat, quod facit visio, scilicet assecurare de obiecto?

61 Ad confirm. Hæc probant, Deum frustra revelasse, quæ nota sunt, v. gr. eius existentiam, scientiam, Omnipotentiam. *Resp.* dist. mai. Authoritas loquentis adhibetur ad obtinendum assensum ex motivo authoritatis loquentis, conc. mai. præcisè ad obtinendum assensum vtrumque, neg. mai. & neg. min. Quia assentire ex motivo, & autoritate loquentis valde utile, fructuosum, & obsequiosum est. Ad prob. neg. antec. Quia possunt aliquando, præcipi ut poneretur ex

motivo obedientiæ. Ad secundum neg. aantec. Quia natura providit assensus sic obscuros ad præstandum obsequium dicenti: & assensus fidei Divinæ propter utilitatem: præterquam , ut dixi, hæc probant , Deum frustia revelasse, quæ alias nota sunt.

62 Obje. 7. Ex Lugo : intellectus non potest uti medio ad assequendam veritatem , quam plenè possidet, sicut neque voluntas ad assequendum obiectum plenè possum. Sed intellectus plenè possidet veritatem Dei per visionem: ergo non potest uti medio fidei ad requirendam talem veritatem. *Confirm.* Agens naturale non potest introducere in subiecto formam , quando illam invenit introductam : ergo intellectus habita visione nequit habere fidem. Argumentum solum probat non posse dari fidem , si pro priori supponatur visio. Deinde probat , Christum non potuisse cognoscere scientia naturali adhuc experimentalis veritates naturales , quas scientia infusa cognoscebat: quod et si fateatur Lugo , est contra communem Theolog. sententiam. Deinde probat , Angelos cognoscentes Deum intuitivè non possunt illum

illum cognoscere abstractivè in creaturis. Vide plura apud Ripalda hic sect. 4.

63 Resp. dist. mai. Intellexus non potest utriusque medio ad consequendam per eandem possessionem, veritatem, quam possidet, conc. mai. per aliam possessionem, præsertim addentem perfectionem, neg. mai. & idem de voluntate, & concess. min. neg. conseq. Quia possessio per fidem addit novam, & diversam perfectionem. Hinc patet ad confirmationem: Verum est agens naturale non inducere formam in subiecto, quando eam invenit virtualiter inducitam in ordine ad omnia munera formæ advenientis; si vero, et si prima equivaleat in ordine ad aliqua munera tantum, secunda tribuat diversam perfectionem, illam inducit. Hinc patet quomodo habens scientiam naturalem alicuius rei, non procuret eiusdem rei notitiam ex testimonio humano: quia haec secunda notitia non addit perfectionem specialem; at vero cum notitia fidei Divinæ addat perfectionem, & utilitatem supra evidentiam naturalem, evidentiter cognoscens existitiam Dei, potest procurare notitiam fidei-

fidei circa eius existentiam. Imò habens intuitionem etiam pro priori , potest habere fidem , non tanquam medium intuitionem ; sed quia simul potest adesse medium fidei , & per fidem perficit intellectum ; imò non est , cur Deus non possit præcipere Beatis , quod credant aliquod mysterium.

64 Obijc. 7. Ex Doct. Rios. Nequit credi à Petro obiectum *A* , dum non est indifferentia obiectiva , in tali obiecto. Sed data scientia , non est indifferentia obiectiva in tali obiecto: ergò. Prob. mai. & min. Nequit credi obiectum *A* à Petro , quando Petrus non est liber : nec datur indifferentia obiectiva , dum est determinatio , seu necessitas obiectiva. Sed data scientia , &c. ergò. 2. Quia alias possent conjungi assensus , & dissensus per diversa media. Vel contra. Ideò non possunt , quia datur incompatibilitas obiectiva in obiecto assensus , & dissensus. 3. Ex Palanco , libertas requisita ad fidem est non solum libertas contradictionis; sed contrarietatis. Sed data scientia , non datur libertas contrarietatis : ergò. Prob. mai. Quia obiectum fidei debet esse indifferens ad assensum , & dissensum;

sum ; & subiectum credens debet esse
indifferens ad dissensum.

65 Resp. dist. mai. Dum non est
indifferētia obiectiva in tali obiecto ad
assensum , & non assensum, ex hoc mo-
tivo , permitto mai. ad assensum , &
dissensum , neg. mai. Ad prob. dist.
mai. Quando Petrus non est liber ad
assensum , & non assensum ex hoc mo-
tivo , permitto mai. ad assensum , &
dissensum , neg. mai. propter nostram
rationem. *Ad 2.* Neg. ant. Quia ex
philosophia supponimus assensum , &
dissensum non posse coniungi ; & nec
amor , & odium , sive hoc proveniat ex
incompatibilitate actuum ; sive ex in-
componibilitate obiectiva; sive ex vtra-
que : verum sicut potest componi ama-
re Deum ex uno motivo , quin ametur
ex alio : & amare Deum necessario,
quia benefecit mihi , v. gr. & liberè,
quis est qui est : ita accidit in assensu
fidei. *Ad 3.* neg. mai. & mai. prob.
propter nostras rationes.

66 Adverte : in Patria iuxta om-
nium sententiam ex prima ad Co-
rint. 23. Cum autem venerit , quod per-
fectum est , evacuabitur , quod ex parte
est. Non futuram fidem actualiem fie-
quent :

quenter : non quia hæc sit naturalièr incomponibilis cum visione ; sed quia Deus , vel titulo decentiæ status : vel quia non ita consentanea est statu Beatiſico ; cum Deus habeat plures modos manifestandi res , quam in via , decrevit non dari fidem frequenter ; licet aliquando detur. Idemque accidi et in Christo. Sicut neque datur habitus fidei quamvis hic non opponitur naturaliter cum visione , & quamvis potest dari actus eius circa veritates secunditas decretorum , & providentiarum. Adverte secundo non repugnare intellectum , neque voluntatem esse in habituali possessione , & in habituali tendentia ad aliquem finem ; quia voluntas per habitum charitatis est in habituali possessione Dei per charitatem , & per habitus aliarum virtutum , est in habituali tendentia ad possidendum Deum per charitatem : habitus namque ad finem non pugnat cum habitu mediorum ad illum finem. Vnde dato quod habitus fidei de immortalitate animæ sit tendentia habitualis ad visionem de immortalitate animæ , posset coniungi cum habitu scientiæ de immortalitate animæ .

SECTIO VII.

*An possimus unico actu assentiri eidem
objeto ex motivo intrinseco scien-
tiae, & fidei?*

'67

Sup. i. Dupliciter exco*gitari* posse actum moveri ex duplice motivo. 1. Apretando quodvis tanquam motivum partiale, ita ut neutrum aestimet tanquam sufficiens ad assentiendum: eo modo quo præmissæ concurrunt ad assensum conclusionis. 2. Aestimando quodvis tanquam motivum sufficiens: quamvis hic numero actus deficeret deficiente quovis ex motivis intrinsecè respectis ab actu; intellectus tamen ita apretiat ea motiva, ac si per duos actus ex eis motivis assentiretur, seu ita ut paratus sit intellectus, vt ita dicam, ad assentiendum per duos actus, quorum quisvis respiciat suum motivum tanquam sufficiens. Cum motivum scientiæ necessitat ad assensum, recte percipitur, quod actus respiciens motivum scientiæ, & fidei, respiciat motivum scientiæ tanquam sufficiens, & similiter motivum fidei:

fidei : quia cum ex imperio voluntatis moveatur ex motivo fidei , potest imperium velle actum moveri ex motivo fidei, tanquam sufficienti.

68 Sup. 2. cum Ripalda contra Capræolum , & sapientis. MM. Actum respicientem motivum scientiæ , & fidei, esse scientiæ: quia esset clarus, non potest enim non apretiare motivum scientiæ tanquam sufficiens ; quia licet conclusio semper sequatur debiliorem partem , & evadat obscura quando vox ex præmissis est obscura, & probabilis quando una est probabilis : ideo est, quia conclusio, ut talis, nullam ex præmissis potest apretiare ut sufficientem ad assentiendum ; at verò actus nostri casus motivum scientiæ apretiat tanquam sufficiens. Difficilius est , an ille actus sit fidei ? Si non apretiat motivum fidei tanquam sufficiens , dico illum actum non esse fidei , neque elicium ab habitu fidei : quia habitus fidei per actus liberos præstat obsequium Deo dicenti; & actus fidei liber est obsequium dicenti: quale ergo obsequium erit Deo , non apretiare eius testimoniū , tanquam sufficiens ad assentiendum . 2. Quia verius est fidem non

elicere actus complexos, scilicet actus credendi non apretiantes testimonium Dei super omnia, adeoque non aestimantes testimonium Dei tanquam sufficiens: quod insinuat Innoc. XI. exigens plusquam probabilitatem revelationis. Idem dicemus de Charitate: quidquid sit an aliæ virtutes possint elicere actus complexos imperfectos, scilicet non apretiantes super omnia neque tanquam sufficiens proprium motivum. Eliceretur itaque ille actus, si forte esset supernaturalis ab auxilio transeunte; non ab habitu fidei.

69 His suppositis, quæst. inquirit, an possit idem actus moveri ex motivo scientiæ, & fidei respiciendo quodvis tanquam sufficiens, & adæquatum? Ne-gant communiter Thomistæ; & ex nostris negat Suarez disp. 3. sect. 9. Gra-nad. tract. 2. disp. 7. Mæratius dis-put. 24. Affirmant Lugo disp. 2. nu-mer. 111. Arriaga disp. 6. de Anim. sect. 7. sub sect. 3. Ripald. disput. 12. sect. 5. Izquierd. supr. P. Doct. Pei-nado disp. 4. de Anim. num. 28. Sen-din controv. 8. sect. 1. Munies. disp. 1. sect. 3. & 4. & RR. Cistercienses. Pla-cet hæc sententia. Quæ præter ratio-nem

nem communem omni quæst. de pos-
sibili.

70 Prob. Intellectus positis moti-
vis scientiæ, & fidei potest assentiri per
duplicem actum æstimando quodvis
tanquam sufficiens. Sed nulla apparet
repugnantia, quod moveatur per un-
icum actum: imò quando ocurrunt
duo motiva, forte semper assentitur in-
tellectus per unicum actum, nisi positi
vè renuat voluntas: ne actus multipli-
cat, ut asserit Lugo: ergo unus actus
potest assentiri ex motivo scientiæ, &
fidei apretiando quodvis tanquam suf-
ficiens. Maj. supponitur ex dictis sect. 3.
Prob. min. Eatenus non posset moveri
intellectus per unicum actum: quate-
nus unum motivum impediret motionem
alterius; sed non impediret: ergo.
Probat. min. Connexio unius motivi
cum obiecto materiali non impedit
connexionem alterius motivi cum eo-
dem obiecto materiali. Sed quod non
impedit simultaneam connexionem
cum eodem obiecto, non impedit si-
multaneam motionem, nisi aliunde
constet oppositum: ergo. Confirm. Si
Magister proponat aliquam conclu-
sionem propter tria fundamenta, quo?

rum quodvis sit efficax, potest discipulus propter omnia assentiri aestimando quodvis tanquam sufficiens: & inter haec motiva potest unum esse revelatio, & aliud motivum scientiae: ergo idem actus potest moveri ex motivo scientiae, & fidei, apretiando quodvis tanquam sufficiens.

71 Confirm. 2. Idem actus voluntatis potest moveri ex duplice motivo totali misericordiae, & charitatis. Idem actus ambulandi potest esse ex motivo recreandi animum moderate, & ex motivo recuperandi salutem, apretiando quodvis ut sufficiens. Idem actus eundi Matritum potest esse ad obediendum Praelato, & ad viscendum amicum: ergo idem actus intellectus potest moveri ex duplice motivo totali scientiae, & fidei: quia hoc secundum non magis repugnat, quam primum.

72 Confirm. 3. Eatenus ille actus non posset esse actus fidei, quia non posset esse meritorius. Sed hic actus posset esse meritorius: ergo. Prob. min. Actus liber apretians autoritatem Dei revelantis *super omnia*, esset meritorius. Sed hic actus apretiaret autoritatem Dei revelantis *super omnia*: ergo. Prob.

Prob. min. Hic actus exercite, vel signate sic diceret: *Etsi dentur quaecumque rationes in contrarium, assentirem, quia Deus dicit.* Quia hoc est apretiare, ut sufficientem, autoritatem Dei revealantis. Sed eiusmodi actus apretiat auctoritatem Dei super omnia: ergo.

73 Obijc. 1. Mærat. Ille actus non esset elicitus ab habitu fidei: quia motivum fidei non potest movere ad assensum medi⁹ demonstrativi; neque motivum scientiæ ad assensum revelationis: sicut motivum iustitiæ nequit movere ad amorem misericordiæ; neque è contra: & consequenter, neque habitus in illos influent: quia habitus non potest se extendere ad aliud obiectum formale præter proprium. *Responde* neg. ant. quia licet motivum fidei seorsim à motivo scientiæ non posse movere ad assensum demonstrativum; secus accidit, si coniungatur cum motivo demonstrativo: & habitus similiter solum se extendit ad suum obiectum formale, quando hoc seorsim proponitur; secus quando proponitur coniunctum cum alio. Idem dicendum de iustitia, & misericordia; sicut intellectus vitalis, & naturalis non potest se

Tolo producere visionem supernaturam. Item Petrus solus non potest movere visionem de existentia Pauli; & tamen Petrus, & Paulus possunt videri per eandem visionem. Et sic de alijs.

74 Obijc. 2. Si idem actus potest moveri ex motivo scientiæ, & fidei, prædicata duarum specierum possent in unam tertiam convenire: & fierent possibilia plura, quæ inter chymeras reputantur, scilicet homo-equis: substantia accidens; & similia. *Argumentum* probat non posse eundem actum esse scientiæ, & fidei adhuc *relatè* ad diversa obiecta materialia: neque apprehensionem, & iudicium *relatè* ad diversa obiecta: neque amorem & odium, quia prædicata duarum specierum possent in unam tertiam convenire; & tamen plures ex Adversariis hæc concedunt. *Resp.* Prædicata duarum specierum non dicentia oppositionem, qualia existimamus prædicata scientiæ, & fidei; misericordiæ, & charitatis; & similia, rectè posse coniungi; secus prædicata duarum specierum dicentia oppositionem secundum positivum: talia reputantur communiter prædicata hominis, & equi; substantiæ, & accidentis;

quia

quia de ratione accidentis est supponere substantiam; posset tamen dari substantia habens aliqua praedicata substantiae, & accidentis in se non repugnante; quia posset dari substantia, quæ in se ipsa esset alba, & quæ se ipsa esset impeccabilis, & sancta, ut diximus tract. de Visione; & substantia habens aliqua praedicata aliarum specierum, ut homo habens vitam plantæ, bruti, & Angeli: Angelus habens prædicatum rationalis commune homini, & spiritualis commune Deo.

75 Obijc. 3. Si idem actus posset moveri ex motivo scientiæ, & fidei, idem actus posset moveri ex motivo iustitiae, & misericordiæ; ex motivo charitatis, & misericordiæ, & sic erit necessariū habitus supernaturales multiplicari hucusque incognitos; imò & virtutes Theologicas. Resp. conc. sequelam non absurdam quoad actus; verum ex possibiliitate actuum distinctorum non sequitur multiplicandos habitus. Quia habitus dantur ad actus frequenter occurrentes, & non dantur frequenter actus respicientes duplex motivum. 2. Quia habitus de futuro existentes sufficiunt ad illos actus. Ad-

verte non posse eundem actum esse simul apprehensionem, & iudicium eiusdem obiecti; neque simplicem complacentiam, & amorem efficacem; quæ repugnancia vnicè provenit ex modo tendendi: nam apprehensio tendit in obiectum sistendo in eius propositione nihil de ipso decernendo; iudicium vero decernendo: simplex complacentia tendit in obiectum sine efficacia agendi; secus amor efficax.

76 Obijc. 4. Ille actus esset liber, quia est actus fidei indigens imperio voluntatis; & necessarius non indigens imperio; quia est actus scientiæ. Deinde esset supernaturalis; quia elicitus à fide; & naturalis; quia elicitus ab habitu scientiæ. *Confirm.* Habitus scientiæ non potest influere in actuū supernaturalem, nisi elevetur. Sed in hoc casu non elevatur, quia habitus fidei non subiectatur in habitu scientiæ; ergo habitus scientiæ non potest elicere actum supernaturale. *Resp.* Illum actum esse liberum, & non necessarium: quia licet motivum scientiæ necessitet ad assensum; non tamen ad assensum respicientem motivum scientiæ, & fidem. Ideò hic assensus utrumque respiciens, liber.

liberè, & ex imperio voluntatis elicuntur. Deinde hic actus est supernaturalis, quia exigit causam inadæquatam supernaturalem; hoc enim ipso est supra vires naturæ, quin requiratur, totam causam esse supernaturalem.

77 Ad confirm. Dico, actum scientiæ elevari per habitum fidei: quia ut elevetur, non est necessarium, quod subiectetus in illo; immo neque requiri: ur quod vniatur *mediate* seu *in tertio*; sed sufficit esse concausam *particulariter* completem, & concurrentem. Cur autem possit dari duplex motivum totale, seu duplex causa finalis, quamvis non possit dari duplex actio totalis, nec duplex causa physica totalis, nosti ex philosophia. Similiter scis quomodo in infinitum poterunt multiplicari inadæquatæ definitiones rerum per varias combinationes terminorum, quin respiciantur ab actibus: si cut quævis potentia respiciens infinitos effectus potest definiri per infinitas definitiones inadæquatas; vel dic posse multiplicari infinitas definitiones, si multiplicentur in infinitum res, ex quo nullum sequitur absurdum.

78 Obje. 5. Repugnat, quod

idein actus sit spei, & gaudij respectu eiusdem obiecti materialis: ergo repugnat quod idem actus sit scientiae, & fidei. Prob. cons. Quia fides est via ad intuitionem. Resp. conc. ant. neg. conseq. Disparitas est: quia ad spem requiritur, quod obiectum proponatur futurum; ad gaudium requiritur, quod obiectum proponatur praesens; & non potest pro eodem signo proponi obiectum praesens, & futurum: at verò ad fidem non requiritur, quod obiectum proponatur positivè obscurum: ideo possunt pro eodem signo proponi motivum scientiae, & motivum fidei sufficienter ad movendum; & consequenter ad movendum simul, & ad movendum ad eundem actum. Ad prob. Hæc solum probat ad summum, fidem non posse identificari cum visione intuitiva Dei: & hoc loquendo de fide meritoria: quia hæc sola est via ad intuitionem; non verò quod non possit identificari cum alia scientia, & cum alia intuitione; ad quam neque est via, nec meritum.


79 Rogabis, an praedictos assensus sit scientiae, aut fidei? Resp. cum Ligo, Ripald. & Peinado, talem assensum

sum esse scientiæ , & fidei : quia moveatur ex motivo scientiæ , & fidei, ap- pretiando quodvis tanquam sufficiens; ideoque elicetur ab habitu scientiæ , & fidei. Dices: Ille assensus non est fidei ; quia de ratione actus fidei est non habere claritatem physicam , neque metaphysicam. Sed actu , qui *es-
sentialiter* moveatur ex motivo scien- tiæ , & fidei, repugnat non cognoscere claritatè physica , & metaphysica : er- go talis actus non potest esse fidei. *Ex-
plicat.* Quia de ratione actus opinativi est assentiri cum formidine , nequit esse assensus opinativus , qui cum certitu- dine assentiatur obiecto , etiam ex alio motivo.

80 Resp. dist. mai. De ratione actus fidei , qui non moveatur ex mo- tivo scientiæ , est non habere clari- tam physicam , neque metaphysicam , conc. mai. De ratione actus fidei , qui moveatur ex motivo scientiæ , & fidei neg. mai. & conc. min. neg. cons. Ita- que actus fidei non petit claritatem physicam , *ex prædicato specifico fidei formaliter loquendo* : Sed ex tali prædi- cato specifico : sicut non est de ratio- ne amoris , *ex hoc prædicato* , tendere

aversativè in obiectum, & amor, qui sit odium alterius obiecti tendit *aversativè* in obiectum. Idem de iudicio, & apprehensione respectu diversorum. *Ad explicat.* iam diximus non esse de essentia actus opinativi, seu probabilis formidinem formalem; sed ad summum radicalem. Potest tamen dari actus, qui simul moveatur ex motivo probabili, & motivo certo, utrumque appretiando ut sufficiens. An vero talis actus dicendus sit opinativus, & probabilis, dubitati potest? P. Doct. Peinado num. 29. disp. 4. de Anima, dicit esse scientiam, & opinionem. Lugo non renuit concedere esse simul certum, & formidolosum. Verius videtur non esse dicendum probabilem, neque opinativum: quia de ratione actus opinativi videtur esse dicere formidinem radicalem: cum haec voces, *opinativus, probabilis*, communiter accipiuntur pro assensu falsitati obnoxio: talis autem assensus cum sit *realiter* certus, *realiter* repugnat falsitati; ideoque non est obnoxius falsitati.

* * * *



SECTIO VIIJ.

*An habitus fidei possit coniungi cum
actu scientiæ?*

81 **S**up. Omnes Authores dicentes actum fidei posse coniungi cum actu scientiæ; imò & eundem actum posse esse scientiæ, & fidei, consequenter dicere, habitum fidei posse coniungi cum actu scientiæ tam naturalis quam supernaturalis: ideo nostri secuti Suar. disp. 3. sect. 9. communiter dicunt, habitum fidei coniungi posse cum actu scientiæ. Ex negantibus actum fidei coniungi posse cum actu scientiæ. Gonet disput. 1. cap. 6. dicit, habitum fidei non posse coniungi cum actu scientiæ. Palanco disp. 4. quæst. 6. conclus. 3. D. Rios disp. 3. dub. 2. conclus. 2. dicunt, habitum fidei posse coniungi cum actu scientiæ naturalis, & cum actu scientiæ supernaturalis, & cum visione intuitiva transunter habita.

82 Dico: Habitum fidei coniungi posse cum actu scientiæ naturalis, & supernaturalis imò & potest coniungi

gi cum visione intuitiva transunter
habita. Prob. 1. Iuxta nos actus scien-
tiæ coniungi potest cum actu fidei, idem
idem actus potest esse scientiæ, & fi-
dei: ergo habitus fidei coniungi po-
test cum actu scientiæ tam naturalis,
quam supernaturalis.

83 Sed adhuc dato, quod actus
essent inter se oppositi, idem sentio.
Prob. 2. Generaliter. Quamvis habi-
tus quodammodo specificentur ab
actibus, & actus non possint coniun-
gi, non est ratio, eur habitus fidei
non possit coniungi cum actu scientiæ
naturalis, & supernaturalis: ergo po-
test coniungi. Prob. ant. Quamvis in-
tellectus quodammodo specificetur à
suis actibus, potest esse indifferens, vt
coniungatur cum assensu, & cum dis-
sensu circa idem obiectum, qui actus
sunt oppositi. Quamvis voluntas quo-
dammodo specificetur à suis actibus,
potest esse indifferens, vt coniungatur
cum volitione, & nolitione, qui actus
sunt inter se oppositi. Similiter poten-
tia deambulandi est indifferens, vt con-
iungatur cum deambulatione, & cum
carentia deambulandi, quæ sunt oppo-
sita: & sic de alijs: ergo. Prob. cons.

Quia

Quia habitus infusi magis imitantur naturam potentiarum , quam habitus adquisiti : quia habitus infusi non *dane* facile posse ; sed posse , ut omnes sentiant cum D. Thom. I. 2. quæst. 65. artic. 3. quod autem inclinent ad suos actus , non probat facilitare ad illos ; quia quævis potentia inclinat in suos actus ; & non semper est facilis ad illos . Imo licet ita inclinaret habitus fidei ad actum fidei , & carentiam actus scientiæ , ut facilitaret ad illa , potest coniungi cum eorum oppositis : quia sœpè vincimus inclinationes , & facilitates quas habemus . *Similiter* actus misericordiæ remittendi pœnas pugnat cum actu iustitiae nolente eas remittere , & habitus misericordiæ coniungi potest cum illo actu iustitiae *Similiter* actus perfectissimæ obedientiæ est inconiungibilis cum inobedientia veniala in illa materia , & habitus obedientiæ coniungi potest cum tali inobedientia , & sic de alijs .

84 Prob. specialiter , quod habitus fidei coniungi potest cum actu scientiæ naturalis circa mysteria fideis . Habitus fidei potest coniungi cum aliquibus actibus scientiæ naturalis circa mysteria

mysteria credenda: ergo & potest con-
iungi cum omnibus actibus scientiae
naturalis circa mysteria credenda , seu
cum scientia circa omnia mysteria, quæ
naturaliter sciri possunt. *Prob. ant.*
Philosophus Christianus potest cognos-
cere scientia naturali immortalitatem
animæ , existentiam Dei, sapientiam,
& potentiam Dei : ergo. *Ant.* est cer-
tum , alias ammitteret fidem , quoties
haberet tales actus scientiae. *Confirm.*
Quod deficiat aliquod obiectum ab
esse obiectum materiale fidei , non
arguit defectum habitus fidei. Sed
dato actu scientiae circa aliquod
mysterium credendum , ad summum
esse deficere aliquod obiectum ab
esse obiectum materiale fidei : ergo.
Prob. mai. Quod per errorem deficiat
aliquod obiectum ab esse obiectum
materiale scientiae , non arguit de-
fectum habitus scientiae : ergo simi-
liter

85 Et ratio à priori esse potest:
Quoties salva manet præcipua inclina-
tio habitus fidei , datur habitus fidei.
Sed dato actu scientiae naturalis circa
immortalitatem animæ , v. gr. salva
manet præcipua inclinatio habitus
fidei:

fidei: ergò. Prob. min. Præcipua inclinatio habitus fidei est inclinatio ad cognoscendum obiectum primarium fidei, & veritates supernaturales, quæ non possunt cognosci lumine naturali. Sed dato actu scientiæ circa immortalitatem animæ, salva manet inclinatio circa cognitionem obiecti principalis fidei, qui est Deus; cum nihil contra eam fiat: siquidem remanere potest obscurum obiectum principale fidei. Et inclinatio circa cognitionem veritatum supernaturalium, propter eandem rationem: ergò.

86 Obijc. 1. Destructa inclinazione circa obiectum partiale fidei, destruitur habitus fidei. Sed dato actu scientiæ circa immortalitatem animæ, destruitur inclinatio circa obiectum partiale fidei: ergò. Prob. mai. Habitus fidei est indivisibilis: ergo destructa, &c.
 2. Destructo prædicato essentiali habitus fidei, destruitur habitus fidei. Sed inclinatio ad obiectum partiale fidei est prædicatum esse entiale habitus fidei: ergò.
 3. Quia omnipotentia est virtus proxima productiva omnium possibilium, si unum possibile fieret impossibile, deficeret omnipotentia. Sed habitus

tus fidei est virtus proxima creditiva omnium credibilium : ergo si vnum credibile fieret incredibile per scientiam , deficeret habitus fidei. 4. Non minus opponitur actus scientiae circa mysterium credendum cum habitu fi- dei , quam dissensus circa mysterium credendum cum ipso habitu; quam pec- catum cum habitu charitatis, & scientia cum opinione. Sed per dissensum ad vnum obiectum credendum amittitur fides ; & per vnum peccatum amittitur habitus charitatis ; & per vnum actum scientiae amittitur opinio: ergo.

87 Resp. conces. mai. neg. min.
 Quæ non probatur , quia per positio- nem actus scientiæ , quod alias posset credi , non destruitur inclinatio crea- dendì illud obiectum ; sed impeditur, seu negatur terminus inclinationis : & sœpè negatur terminus inclinationis, quin deficiat inclinatio , ut quisque ex- peritur. Ad 2. conc. mai. neg. min. propter immediate dicta. Ad 3. dist. mai. Si vnum possibile fieret antecedentè impossibile , deficeret omnipoten- tia, conc. mai. si fieret consequenter im- possibile , neg. mai. Quia dato amore, fit consequenter impossibile odium ; &

non

non deficit omnipotentia, & conc. min. neg. cons. Quia tunc, ad summum, fieret consequenter incredibile illud obiectum; & consequenter impossibilis actus fidei: siquidem deficiente actu scientiae, poterit dari actus fidei circa illud obiectum. *Ad 4.* neg. mai. quoad primam, & secundam partem, proprias nostras rationes: quoad tertiam ex dictis, scientia non opponitur cum opinione; & multo minus actus opinionis cum habitu scientiae. Si autem velis, quod scientia opponatur effensialiter, aut *ex natura rei*, cum opinione, etiam per diversa media, neg. mai. quoad tertiam partem, propter rationes conclusionis.

88 Prob. Iam quod habitus fidei coniungi possit cum visione transeunte Dei. Div. Paulus in raptu habuit visionem transcurrentem Dei. Sed simul habuit habitum fidei: ergo. Discursus est D. Thoin. 2. 2. quæst. 175. artic. 3. ad 3. Paulus in rapto non fuit beatus habitaliter; sed solum habuit actum beatorum, consequens est, ut simul tunc non fueris in eo actus fidei; fuit tamen simus in eo fidei habitus. Prob. 2. Eatenus visio opponitur fidei, quatenus opponitur actui, ad quem fides inclinat. Sed ex

hoc solum probatur , quod non possit coniungi cum actu fidei ; non verò quod non possit coniungi cum habitu fidei : ergò. Probat. min. Ex eo quod motus sursum in lapide opponatur cum motu deorsum , in quem inclinat lapis, solum probatur , quod motus sursum non possit coniungi cum motu deorsum ; non verò quod non possit coniungi cum gravitate inclinante ad motum deorsum : ergo similiter. Hæc ratio similitèr probat, quod habitus fidei coniungi potest cum lumine gloriæ transuntèr communicato : quia impulsus transuntèr communicatus lapidi est inclinatio sursum. Sed hæc potest coniungi cum inclinatione ad descendendum deorsum : ergo licet lumen gloriæ sit inclinatio ad actum contrarium fidei ; si transuntèr communicetur , potest coniungi cum inclinatione ad actum fidei.

89 Obijc. Div. Thom. 3. part. quæst. 7. art. 3. dicit : *Obiectum fidei est res divina non visa , & ideo excluso, quod res divina sit non visa , excluditur ratio fidei.* Sed per visionem Dei etiam transuntèr communicata excluditur, quod res divina sit non visa : ergò.

2. Lumen gloriæ permanenter communicatum opponitur cum actu fidei transeuntèr communicato; & idem de habitu: ergo habitus fidei permanenter communicatus excludit actum visionis, etiam transeuntèr communicatum.

3. In alijs formis eadem est oppositio, si permanenter communicetur: ut patet in gratia, & peccato: ergo idem accidet in fide, & visione.

90 Resp. concess. mai. in verbis D. Thom. inclusam, dist. min. excluditur actualiter *res divina non visa*, & transeuntèr, conc. min. excluditur habitualiter, & permanenter, neg. min. & dist. conf. per visionem excluditur ratio fidei actualis, conc. conf. ratio fidei habitualis, neg. conf. *Ad 2. dist. ant.* Lumen gloriæ permanenter communicatum excludit actum fidei, & habitum etiam transeuntèr communicatum, ratione status decentiæ, vel alijs titulis ex voluntate Dei, conc. ant. excludit essentialiter aut ex natura rei, neg. ant. & conf. Quia nulla est ratio ut communicata transeuntèr visione Dei deficiat habitus fidei habitualiter communicatus, potest tamen ratione

Status vel ex alijs titulis ex voluntate
Dei dari ratio ne coniugatur actus ne-
que habitus fidei etiam transeuntēr
communicatus cum lumine gloriæ per-
manentēr communicato, ut dicemus.

Ad 3. dist. antec. In aliquibus formis
eadem est oppositio, sive transeuntēr,
sive permanentēr communicentur, con-
ced. antec. & ita accidit in gratia, &
peccato: quod peccatum actuale, nec
habituale non potest coniungi cum
gratia: in omnibus formis, neg. antec.
quia ut constat ex nostris rationibus,
aliqui actus possunt coniungi cum ha-
bitibus, & inclinationibus in actus op-
positos.

91 *Obijc. 2.* Qui habitualiter crea-
debat esse Romam, perdit hanc fidem;
si Romam actualiter, et si transeuntēr
videat: ergo qui actualiter et si trans-
euntēr videt Deum, perdit habitum
fidei, quo habitualiter cum credebat.
2. Non potest sperari habitualiter ob-
iectum actualiter possessum: ergo ne-
que potest habitualiter credi obiectum
actualiter visum. *Prob. ant. ad Rom. 8.*
Quod videt quis, quid sperat? 3. Nul-
lus potest actualiter moveri ad formam

naturalem, quam habitualiter habet: ergo nec potest actualiter videre, quod habitualiter credit per habitum fidei.

4. Quod actualiter dubitatur per opinionem non potest habitualiter credi: ergo quod actualiter scitur non potest habitualiter credi. Consequentia est bona: quia non est cur habitus fidei sit componibilis cum actu scientiae, & non cum actu opinionis. Antec. prob. quia habitus fidei non est componibilis cum opinione.

92 Resp. neg. mai. quia habitualiter credere Romam esse non est aliquis habitus infusus ad credendum esse Romam; sed facilitas credendi Romam esse, quæ facilitas non perditur per actum videndi transiuntur Romam. Et conc. min. neg. conf. *Ad 2.* nego antec. quia ut vidimus Div. Paulus in raptu actualiter, licet transiuntur, vidit Deum iuxta Div. Thom. & cum ea possessione coniunxit habitum spei, sicut & habitum fidei. *Ad 3.* conc. ant. neg. conf. Quia si habitualiter habet formam, eam habet actualiter, & pro signo pro quo habet actualiter formam non potest moveri ad habendam for-

mam. At verò in nostro casu rectè potest coniungi actualis possessio per scientiam cum habitu fidei : quia per habitum fidei non semper creditur actualiter. *Ad 2. neg. ant.* Quia sicut habitus fidei potest coniungi cum scientia , imò & cum visione transeunte , cur non poterit coniungi cum opinione , cum non sit de ratione opinonis esse formaliter formidolosam ; sed solum esse radicaliter formidolosam ,
ut diximus. Mitto alia leviora ,
quæ facile quisque solvere poterit.



(JESUS)

DISPUT. XII.

An possit dari fides cum evidentiā in attestante?

HÆC DISPUTATIO AFFINIS EST
antecedenti; sed quia varij sunt mo-
di discurrendi, de ea scorsim agimus.

SECTIO I.

*An qui habeat evidentiam in attestante
habeat evidentiam mysterij
quoad an est?*

I.



Up. I. Questionem
procedere, an cum
evidentia divinæ re-
velationis, sensus ver-
borum, & authori-

tatis detur evidētia mysterij quoad an
est? & an cum tali evidētia possit dati

Fides? Si enim licet detur evidentia authoritatis, & revelationis, non detur evidentia sensus verborum, vel licet detur evidentia revelationis, & sensus verborum: non detur evidentia authoritatis. In primis non datur evidentia mysterij: quia in treatis cum evidentia testimonij, sensus verborum, non datur evidentia veritatis, quia non datur evidentia authoritatis; ideoque veritas manet obscura, & manet locus, ut obsequium praestemus dicenti. Deinde in tali casu datur quod requiritur ad fidem, ut contra Granados, & Lugo disp. 2. num. 35. Prob. Quando datur locus, ut obsequium praestetur Deo assentiendo mysterio, quia dicto à Deo per assensum obscurum, datur: quod requiritur ad fidem. Sed data evidentia revelationis, modo non detur evidentia sensus verborum, aut auctoritatis, datur locus ut obsequium praestetur Deo assentiendo mysterio, quia dicto à Deo per assensum obscurum: ergo. Prob. min. Licet in humani detur evidentia locutionis: quia ne c datur evidentia sensus verborum, ne c auctoritatis datur, quod requiritur, ut obsequium praestemus homini

ni assentiendo obiecto ; quia dicto ab omnine per assensum obscurum : ergo similiter.

2 Dicere autem, quod fides divina petit determinatè , quod revelatio sit obscura , videtur voluntarium : quia Scriptura , & SS. Patres dum dicunt fidem esse de rebus , quæ non videntur , ad sumum petunt obiectum credendum esse obscurum. Sed obiectum credendum esset obscurum, licet detur evidentia revelationis ; modo non detur evidentia sensus verborum , aut authoritatis : ergo. Secundò. Fides humana non petit determinatè , quod Iacutio sit obscura; sed ad sumum, quod non sit evidens sensus verborum , vel authoritas : ergo similiter accidet in fide divina.

3 Sup. 2. Non esse necessariam visionem intuitivam , seu beatam ad habendam evidentiam divinæ revelationis. Ita communiter contra Bañez , hic quæst. 5. artic. 1. & Anton. Perez,hic disp. 3. numer. 51. Prob. Iuxta Div. Thom. 5. part. quæst. 11. artic. 1. Christus per scientiam inditam non videbat Trinitatem , nec Deum , ut est in se , & per eam scientiam habuisse

evidentiam revelationis de Trinitate,
& cognovit Trinitatem cum evidētia
in attestante. Imò talem evidentiam
habuisse B. Virg. & Apóstolos circa
aliqua mysteria , docet Suarez hic
disp. 3. sect. 8. & 9. tom. 2. in 3.
part. disp. 31. sect. 3. & Caiern.
Supra , imò & D. Thom. & alij. Ratio
est : quia sicut Deus potest infundere
speciem supernaturalem , & cogni-
tionem , qua abstractivè cognoscatur
mysterium Trinitatis v. gr. cur non
poterit infundere speciem supernatu-
ralem , & cognitionem , qua evidēt
abstractivè cognoscantur actus interni ,
& externi Dei ? Licet enim non om-
nis species abstractiva causet cogni-
tionem evidētiam cur repugnabit , ali-
quam speciem abstractivam cognitio-
nem evidētiam caufare?

4 Sup. 3. cum Suarez , hic
disp. 3. sect. 8. num. 26. quod si intel-
lectui simul proponatur evidētē re-
velatio sensus verborum , authoritas ,
& simul obscurè per argumenta credi-
bilitatis (in quo nulla appareat impli-
catio) tunc poterit dari assensus fidei
circa misterium , quamvis evidētē
appareat misterium quo ad an est. Ideo

Nobiles RR. Cistercienses dicunt se-
cuti mentem Suarij posse dari fidem
cum evidētia in attestante: quia data evi-
dētia in attestante potest dari assensus
circa mysterium, & revelationem, qui
non supponat revelationē, ut evidētē
propositā; sed qui procedat ex proposi-
tione obscura authoritatis aut, revela-
tionis, aut sensus verborum, quę propo-
sitio stare potest simul cum evidētia in
attestante. Addunt nō posse dari *evidē-
tiā in attestante*, id est, non futurū as-
sensum fidei, assensum illum, qui suppo-
neret authoritatem revelationem, &
sensus verborum, ut evidētē proposi-
tam; ideo dicunt, quod casu, quo
fides esset discursiva in hoc syllogis-
mo. *Quidquid Deus dicit est verum, Deus
dicit Verbum esse incarnatum: ergo Ver-
bum esse incarnatum, est verum.* Si præ-
missæ sint evidentes, conclusio non
esset actus fidei, quia conclusio ori-
etur ex evidētia præmissarum, & sup-
poneret propositionem evidētē au-
thoritatis, & revelationis.

§ Ratio suppositionis est, quia
si propositio evidens, & obscura non
se impediunt quoad simultaneam exi-
stentiam, non est cur se impedian-
t quoad

quoad motionem, & influxum in proprios actus; alia in actum clarum, & alia in actum obscurum. Sed propositio evidens, & obscura non se impedirent quoad simultaneam: ergo. Min. constat disp. ante c. & quia non se opponunt quoad simultaneam existentiam propositio intuitiva, & abstractiva; propositio confusa, & discreta, & alia, quæ diximus disp. ant. Prob. min. Eatenuus se impedirent quoad motionem, & influxum in proprios actus, quatenus necessitas ad actum evidentem pugnaret cum libertate ad actum obscurum. Sed necessitas ad actum evidenter non pugnat cum libertate ad actum obscurum: ergo. Min. quæ videatur patere. Prob. Necessitas in Christo D. ad amorem Dei necessarium regularum scientia beata non opponitur cum libertate ad amorem liberum regulatum scientia infusa: ergo similiter. Ans communiter docetur cum Suarez tom. I: in 3. part. disp. 39.

6 Secundò. Eatenuus propositio evidens, & obscura se impedirent quoad influxum, & motionem in proprios actus, quatenus propositio evidens exhauciret vim motivam revelationis

tionis per assensum evidenter, vel
quatenus auferret conditionem requi-
sitam, ut revelatio moveret ad actum
obscurum. Sed propositio evidens re-
velationis non exhaaurit vim motivam
revelationis per assensum evidenter,
neque auferret conditionem requisitam
ad assensum obscurum (licet proposi-
tio evidens sit pro priori, vel commi-
tantè cum propositione obscura) ergo.
Prob. min. Propositio evidens ob-
iecti, neque exhaufit vim motivam
objeci, per assensum evidenter; ne-
que auferret conditionem requisitam ad
assensum probabilem per aliud me-
dium. Propositio intuitiva Dei neque
exhaaurit vim motivam per visionem
intuitivam, neque auferret conditionem
requisitam ad cognoscendum Deum
abstractivè in creaturis, propositio
discreta objeci neque exhaaurit vim
motivam objeci per actum discretum,
nec auferret conditionem requisitam, ut
cognoscatur confusè per aliam cogni-
tionem: propositio ad amorem neces-
sarium Dei neque exhaaurit vim moti-
vam, neque auferret conditionem requi-
sitam ad amorem liberum regulatum
per aliam propositionem: & sic de alijs,

quæ diximus disp. antec. ergo similiter propositio evidens revelationis neque exhaustit vim motivam revelationis per assensum evidentem, neque auferit conditionem requisitam ad movendum ad assensum obscurum, media alia propositione obscura.

7 His suppositis, primo oritur difficultas, an qui habet evidentiam revelationis, sensus verborum, & authoritatis habeat evidentiam mysterij, quoad *An est?* In qua plures Thomistæ, quos sequuntur Salmantic. disp. 3. & Caietan. Ferrara, Labat. Serra, Gonnet, & plures Scotistæ cum Maistro, quos citat Sendin, & ex nostris Vazquez, Mærat. Torres, Arriaga dicunt evidentiam in attestante non facere evidens mysterium quoad *an est.* Et id videtur sentire D. Thom. hic quæst. 5. artic. 1. dicens, evidentiam revelationis non impedire fidem obiecti revelati, ut explicat Caiet. Hanc esse mentem D. Thom. suadetur, ex Div. Thom. hic quæst. 5. artic. 2. Si aliquis Propheta pronuntiaret in sermone Domini aliquid futurum, & adhiberet signum, morium suscitando: ex hoc signo convinceretur intellectus videntis, ut

cognosceret manifeste, hoc dici à Deo, qui non mentitur, licet illud futurum, quod predicitur in se evidens non esset. Nota ly cognosceret manifeste hoc dici à Deo, & ly in se evidens non esset, vbi clarè denotat D. Thom. manifestam notitiam revelationis non reddere evidens mysterium in se, & quoad *An est?* Et in 3. ad Anibaldum, dist. 24. quæst. vniue. artic. 4. ad 3. Dicendum, quid miracula non probant per se fidem, sed veritatem annuntiantis fidem; & ideo de his, quæ fidei sunt non faciunt scientiam. Vbi videtur sentire D. Thom. à vidente miracula haberi evidentiam physicam attestationis sine evidentia rei attestatae, quia de evidentiâ rei attestatae etiam habetur evidentiâ moralis. Suadetur 2. Ex Caiet. qui in hanc quæst. 5. art. 1. dicit *Respondendum*, quod habere evidentiam de veritate aliquorum, duplicitè contingit.

8 1. Quod videat, seu sciat ipsa enunciata in se ipsis esse vera: & sic excludit rationem fidei; sed non est sic in proposito. (Nota ly non est hic, vbi denotat intentum D. Thom. in hac re non esse dicere, quod fides detur cum hac scientia) Secundo, quod videat,

deat, seu sciat in testificante, illa esse vera: & sic non excludit fidem. Et ita est in *proposito*. Nota ly *ita est*, vbi denotat intentum D. Thom. esse in hoc articulo, quod fides potest dari cum evidenteria in attestante, modo non detur evidenteria mysterij in se ipso. Et hic quæst. 171. dicit D. Thom. Propheta tam eo deferre à reliquis fidelibus, quod ei constet evidenter revelatio Dei. Et assensus Prophetarum erat assensus fidei, ut de assensu Abrahæ significat Script. Genes. 15. Et significatur ad Rom. 3. & 4. ad Hebr. 11.

9 Alij dicunt, evidenteriam revelationis, sensus verborum, & authoritatis facere evidens mysterium quoad *An est?* Ita Suarez disp. 3. sect. 8. Granados tract. 2. disp. 5. Valencia, Albertino, Petr. Hurtado, Lugo disp. 2. sect. 1. Ripald. disp. 12. sect. 1. Coninc disp. 9. dub. 8. Oviedo contr. 4. num. 41. Munies. disp. 1. sect. 2. & RR. Cistercienses, & ex Thomistis plures, quos sequitur Palanco disp. 4. quæst. 5. Rios disp. 3. dub. 2.



SECTIO II.

*Qui habet evidentiā in attestante, habet
evidentiā mysterij quoad
an est.*

ro **P**rob. Cui est evidens dari revelationem cum mysterio quoad *An est*, est evidens mysterium quoad *An est*. Sed habenti evidentiā in attestante est evidens dari revelationem cum mysterio quoad *An est*: ergo. Prob. min. Cui est evidens dari revelationem, & non sine mysterio, est evidens dari revelationem cum mysterio. Sed habenti revelationem in attestante, est evidens dari revelationem, & non sine mysterio: ergo. Maior videtur nota: quia dari revelationem, & non sine mysterio, est dari revelationem cum mysterio. Prob. tamen. Cui est certum sive metaphysicè, sive moraliter, dari revelationem, & non sine mysterio, est certum dari revelationem cum mysterio: ergo. Prob. ant. Quia hac ratione cui est certum moraliter per argumenta credibilitatis dari revelationem de Incarnatione, est certum

moraliter, dari Incarnationem. Nam vero illa min. 2. syllogismi, Sed habenti revelationem in attestante est evidens dari revelationem, & non sine mysterio, etiam videtur nota: quia evidens est non posse dari revelationem sine mysterio, alias non esset evidens, Deum esse summe sapientem, & summe veracem; seu Deum non posse mentiri: ergo habenti revelationem in attestante est evidens dari revelationem, & non sine mysterio.

II Prob. 2. Cui sunt evidentes præmissæ syllogismi positi in Darij, est evidens obiectum conclusionis legitimè deductæ. Sed habenti revelationem in attestante sunt evidentes præmissæ syllogismi positi in Darij, ex quibus legitimè deducitur mysterium quoad An est, v. gr. Verbum esse incarnatum: ergo. Minor est nota: quia habenti revelationem in attestante sunt evidentes præmissæ huius syllogismi, Quidquid Deus revelat est verum. Sed Deus revelat Verbum esse incarnatum: ex quibus legitimè deducitur: ergo Verbum esse incarnatum est verum. Prob. mai. Ex præmissis evidentiibus in syllogismo bene disposito, necessario, sequitur consequens

quens evidens: sicut ex præmissis necessarijs, sequitur consequens necessarium; & ex præmissis moraliter certis, sequitur consequens moraliter certum. Sed syllogismus supra dictus in Darij est benè dispositus: ergo cui sunt evidente præmissæ syllogismi positi in Darij est evidens obiectum conclusio-
nis legitimæ deductæ.

12. 3. Cui est evidens veritas universalis, est evidens veritas singularis, quoties constet cum evidentia, singula-
rem contineri in universalis. Sed haben-
ti revelationem in attestante est evidens
veritas universalis; & constat cum evi-
dentia veritatem singularem, v. gr.
Verbum Divinum est incarnatum conti-
neri sub tali universalis: ergo. Minor
constat ex simili modo discurrendi
quoad certitudinem moralem: & ex
modo discurrendi esse de fide veritates
singulares contentas in universalis. Pro-
bat. min. Habenti evidentiam in atte-
stante est evidens hæc veritas universalis,
Quidquid Deus revelat est verum.
Sed etiam est evidens, Deum revelare
Verbum Divinum esse incarnatum, quæ
est singularis illius universalis: ergo.
4. Cui est evidens duo extrema identia-

ficari cum tertio omnino singulari, esse evidens ea extrema identificari inter se. Sed habenti evidentiam in attestante est evidens *Incarnationem Verbi Divini*; & verum identificari cum tertio *revelatum*: ergo est verum *Incarnationem Verbi Divini*, & verum identificari inter se. Minor patet ex syllogismo posito probatione secunda.

13 Confirm. Non habet maiorem vim certitudo obiecti formalis ad refundendam certitudinem in obiectum materiale, quam evidentia obiecti formalis ad refundendam evidentiam in obiectum materiale. Sed certitudo obiecti formalis, sive sit certitudo moralis, sive metaphysica, refundit certitudinem in obiecto materiali: ergo evidentia huius obiecti formalis, *Quidquid Deus dicit est verum*: Deus dicit *Verbum esse incarnatum*, refundet evidentiam in hoc obiectum materiale *Verbum esse incarnatum est verum*. Mai. viderur vera: quia cur dabitur maior efficacia certitudini, quam evidentiæ, cæteris paribus. Probat. min. Ex eo quod sit certa authoritas, & revelatio Incarnationis, est certa Incarnatio: ergo.

2. Non maiorem vim habet certitudo fun-

fundamenti connexi, vt connexi, vt refundat certitudinem in terminum; quā evidentia fundamenti connexi, vt connexi, vt refundat evidentiam in terminum. Sed certitudo fundamenti connexi, vt connexi, refundit certitudinem in terminum: ergo evidentia huius fundamenti, *Quidquid Deus dicit est verum: Deus dicit Verbum esse incarnatum*, quod est connexum cum eo quod Verbum sit incarnatum, refundet evidentiam in hunc terminum Verbum esse incarnatum. Prob. min. Quia cui est certum dari visionem, est certum dari extreum.

14 Ratio à priori est: quia iuxta ferè omnium aestimationem, vt ait Izquierd. in Phar. disp. 4. num. 13. ad strictam evidentiā sufficit illa claritas, & firmitas assensus, vi cuius neque prudenter, neque imprudenter formidari possit de existentia obiecti. Sed data evidentiā medij vt connexi neque prudenter, neque imprudenter formidari potest de existentia obiecti: ergo. Prob. min. Data evidentiā obiecti formalis conclusionis, neque prudenter, neque imprudenter formidari potest de obiecto materiali conclusionis. Sed data

evidentia in attestante, datur evidentia obiecti formalis huius conclusionis *Verbum est incarnatum est verum, ut diximus numero immediato*: ergo. Conf. Assensus, qui excedat in claritate assensum moraliter evidenter, est evidens physicè, aut metaphysicè. Sed assensus ortus ab evidencia in attestante excedit in claritate assensum moraliter evidenter: ergo. Prob. min. Cum assensu moraliter evidenti potest imprudenter formidari de eius obiecto. Sed cum assensu orto ex evidencia in attestante, neque imprudenter formidari potest de eius obiecto: ergo. 2. Assensus excludens formidinem etiam prudentem, est plusquam probabilis, & moraliter evidens: ergo assensus excludens formidinem etiam imprudentem est plusquam moraliter evidens. Prob. conseq. Quia cum sola evidencia morali formidari potest imprudenter: ideo Izquierd. supr. num. 28. & Petr. Hurt. disp. 8. de Anim. sect. 3. dicentes existentiam Romæ esse physicè evidenter, dicunt de existentia Romæ nec physicè formidari posse; reliqui vero dicentes esse solum moraliter evidenter, dicunt, imprudenter, & physicè formidari posse.

Alias

Alias rationes dabimus impugnando solutiones, quas hic omittimus, ne repetantur.

§. I.

15 Dices cum Vazquez 1. part. disput. 135. sect. 3. Torres disput. 9. cap. 3. Gasp. Hurt. disp. 2. diffic. 7. data evidentia in attestante non esse evidens mysterium quoad *An est*, neque esse deductum per demonstrationem: quia omnis demonstratio debet esse à priori, vel à posteriori, ut constat ex Arist. ex lib. posterior. cap. 20. *Demonstratio est quia, vel proper quid, vel à priori, ut denotatur per ly proper quid; vel à posteriori. seu ab effectu, ut denotatur per ly quia:* & cum revelatione neque sit causa, neque effectus mysterij, evidentia revelationis non reddit evidens, neque demonstratum mysterium.

16 Contra: Quia Aristot. neque quādo definit syllogismum ponit hanc differentiam; sed præcisè dicit, *Est oratio; in qua quibusdam positis, necesse est aliud evenire, neque eam facit, quando dividit syllogismum in topicum, seu opinativum, fallacem, &*

demonstrativum. Sed hic syllogismus ex præmissis evidentibus, *Quidquid Deus dicit est verum*: *Deus dicit Verbum esse incarnatum*: ergo *Verbum esse incarnatum est verum*; non est opinatus, neque fallax: ergo est demonstrativus, & consequenter mysterium Incarnationis erit evidens, & demonstratum, si sint evidentes istæ præmissæ, seu si detur evidentia in attestante.

17 Secundò: Qui evidentè cognosceret evidentiam Dei de possibiliitate Petri, evidentè cognosceret possibilitatem Petri, eo quod hæc scientia infallibiliter ostendat possibilitatem Petri. Sed revelatio Dei, &c. evidentè proposita infallibiliter ostenderet mysterium revelatum: ergo qui evidentè cognosceret revelationem Dei evidentè propositam, evidentè cognosceret mysterium revelatum. Prob. mai. Qui cognosceret possibilitatem Petri in Verbo, evidentè cognosceret possibilitatem Petri quoad *An est*; eo quod Verbum ostendat possibilitatem Petri quoad *An est*, & qui evidentè cognosceret virtutem, & potentiam adequatam, & absolutam Dei productivam Petri, evidentè cognosceret possibilitatem Petri,

eo quod hæc virtus , & potentia infal-
 libilitè ostendat possibilitatem Petri
 ergo. *Tertio.* Hæ demonstrationes, *que*
sunt æqualia vni tertio , sunt æqualia
inter se. Sed duo signa sunt æqualia vni
 tertio: ergo sunt æqualia inter se. Quæ
 coëxistunt vni tertio , coëxistunt inter
 se. Sed materia , & forma coëxistunt
 vni tertio : ergo coëxistunt *inter se.* Et
 similes communiter censentur strictæ
 demonstrationes . Sed neque sunt à
 priori, neque à posteriori: ergo ad stric-
 tam demonstrationem non requiritur,
 quod sit à priori , vel à posteriori.
 4. Causa non est medium ad cognos-
 cendum evidentè effectum , *quia est*
causa; sed quia est connexa cum effec-
 tu: neque effectus est medium ad cog-
 noscendum evidentè determinatè hanc
 causam , quia est effectus ; sed quia est
 connexus cum hac causa. Sed datur me-
 dium evidentè connexum cum termi-
 no , quod medium neque sit causa , ne-
 que effectus termini : ergo potest esse
 terminus evi dēns ex vi medijs , quod ne-
 que sit causa , neque effectus. Ideoque
 Aristot. per ly *quia* significat medium
 connexum , & per ly *proper quid*
figdi-

significat causam, aut effectum, ut observat Izquierd. suprà.

18 Quintò. Etsi necessaria esset evidētia à priori, vel à posteriori, vt esset stricta evidētia, & demonstratio, daretur in hoc casu huiusmodi evidētia circa Incarnationem Verbi: ergo nulla est solutio. Prob. ant. Cui est evidens dari revelationem divinam, est evidens à posteriori dari in Deo potestatem proximam constitutam per visionem mysterij. Sed cui est evidens dari visionem mysterij, est evidens sive à priori, sive à posteriori dari mysterium: ergò cui est evidens dari revelationem dictam circa Incarnationem, est evidens saltem à posteriori dari Incarnationem. 2. Cui est evidens dari revelationem Incarnationis, est evidens à posteriori dari decretum de Incarnatione, & visionem Incarnationis in decreto. Sed cui est evidens dari decretum de Incarnatione, & visionem de Incarnatione in decreto, est evidens à priori dari Incarnationem: ergò.

19 Eisdem rationibus probatur non esse necessariam ad strictam evidētiam, & demonstrationem, quod evi-

evidentia sit per medium intrinsecum,
sive medium intrinsecum vocetur me-
dium identificatum cum termino illa-
to, sive vocetur causa, vel effectus ter-
mini illati: quia ad evidentiam termini
sufficit evidenter medij connexi cum
termino.

§. II.

20 Dices cum Ioan. à S. Thom.
Salmanticens. & Gonet, data eviden-
tia in attestante non dari evidentiam
Incarnationis simpliciter; sed solum se-
cundum quid, seu non dari evidentiam
Incarnationis secundum rationem parti-
cularem; sed solum secundum rationem
communem, seu non dari evidentiam In-
carnationis in se, & *quoad an est*; sed
solum dari evidentiam Incarnationis
quoad esse revelatam, id est, data evi-
dentia in attestante solum esse evidens
Incarnationem *esse revelatam*. Reddit
rationem Ioannes à S. Thom. quia re-
velatio de Incarnatione non connecti-
tur cum Incarnatione in se; sed cum
Incarnatione ut revelata, ideoque non
infert evidenter Incarnationem in se;
sed Incarnationem ut revelatam.

21 Contra. In primis valde diffi-
cile

tile est , quod revelatio supposita au-
thoritate non connectatur cum Incar-
natione in se : quia supposita authori-
tate , revelatio de Incarnatione suffi-
cienter proposita sufficit ad credendum
assensu certo, & firmo dari Incarnatio-
nem in se ; sed inedium , quod non est
connexum cum Incarnatione in se, non
sufficit ad credendum assensu certo , &
firmo dari Incarnationem in se : ergo.
Mai. patet : quia per revelationem de
Incarnatione sufficienter propositam
credimus dari Incarnationem in se , &
non credimus præcisè dari Incarnatio-
nem *ut revelatam*; & per revelationem
reliquorum mysteriorum fidei , v. gr.
Quod Deus est , quod *Remunerator est* ,
quod *est Trinus, & Vnum* credimus *Deum*
esse in se , *Deum esse in se Remunerato-*
rem , *Deum esse Trinum , & Vnum* , &
non præcisè esse revelatum , *Deum esse*,
esse revelatum , *Deum esse Remunerato-*
rem , *esse revelatum* , *Deum esse Trinum,*
& Vnum.

22 Confirm. Revelatio connecti-
tur cum eo, quod necessario requiritur,
ut sit vera. Sed ut dicta revelatio sit ve-
ra , necessario requiritur , quod *Incar-*
natio existat in se; & esset falsa, si *Incar-*
natio

Natio non existeret in se ergo. 2. *Revelatio connectitur cum Incarnatione eo modo quo illam revelat.* Sed revelat *Incarnationem in se:* ergo. Prob. min. *Revelatio id revelat, quod dicit.* Sed dicit *Incarnationem in se:* ergo. Prob. min. *Revelatio id dicit, quod credi potest per hanc revelationem à dicentibus manere obscurum obiectum conclusionis.* Sed à dicentibus manere obscurum obiectum conclusionis credi potest per hanc revelationem *Incarnationem in se:* ergo. Mitto alia, quæ facilè formari possunt.

23 *Contra 2. Præcipue contra solutionem.* Ad quod sciendum est valdè diversum esse, quod evidētia conclusionis obiectivæ habeatur per medium revelationis; & quod evidētia solum sit de conclusione obiectiva *revelata;* sicut valdè diversum est, evidētiam effectus haberi per medium causæ; & quod ex causa solum arguantur evidētē effectus, *ut causatus.* Primum sæpè est verum, secundum apud omnes est falsum. Contra igitur: non minorem vim habet evidētia revelationis, supposita evidētia authoritatis ad refundendam evidētiam in mysterio

sterio, quam certitudo moralis revelationis ad refundendam certitudinem moralem in mysterium: & quam evidentia moralis revelationis ad refundendam evidentiam moralem in mysterio. Sed supposita evidentia authoritatis certitudo moralis de existentia revelationis circa Incarnationem habet vim ad infundendam certitudinem moralem circa existentiam Incarnationis in se, & quoad *An est*: & evidentia moralis de revelatione circa existentiam Incarnationis, habet vim infundendi evidentiam moralem circa existentiam Incarnationis in se, & quoad *An est*: ergo evidentia metaphysica revelationis habet vim refundendi evidentiam metaphysicam circa Incarnationem *in se*, & quoad *an est*. Mai. videtur vera: quia non est cur detur maior vis certitudini, & evidentiæ morali ad refundendam suam certitudinem, & evidentiam in termino, quam evidentiæ metaphysica. Min. saltem quoad primam partem apud omnes est certa: quia apud omnes est certum mysteria fidei esse moraliter certa quoties fuerit moraliter certum dari revelationem circa mysterium.

24 3. In hoc syllogismo: *Quid*
quid

quid Deus dicit est verum: Deus dicit
Verbum Divinum esse incarnatum: ergo.
 Aliiquid inferatur evidentē ex his præ-
 missis evidentibus, quod sit distin-
 ctum à medio, & ab ipsis præmissis.
 Sed si solum inferretur *Incarnatio Ver-
 bi quoad esse revelatum*, & non Incar-
 natio verbi *in se*, & *quoad an est*, nihil
 inferretur evidenter distinctum à me-
 dio, & à præmissis: ergo ex hic præ-
 missis evidentibus evidenter inferatur,
Verbum esse Incarnatum in se, & *quoad
 an est*. Min. est certa: & mai. videtur
 nota: quia in quovis recto syllogismo
 inferatur conclusio obiectiva distincta à
 medio, & ab ipsis præmissis saltem
 aliquomodo. Imò vitiosus est syllogismus,
 in quo medium ingrediatur in
 conclusione.

25 *Confirm.* In dicto syllogismo
 plus inferatur ex majori præmissa dicen-
 te revelationem esse veram, & ex mi-
 nori de revelatione, quamvis in sola
 minori revelatio esset falsa. Sed quam-
 vis revelatio de Incarnatione esset fal-
 sa, ex sola revelatione de Incarnatio-
 ne inferatur Incarnatio quoad esse *reve-
 latam*: ergo plus inferatur ex maiori,
 min. est vera: quia idem est, *Petrum*

aliquid revelare, ac illud esse revelatum; sive revelatio sit vera sive non Prob. min. Quia plus debet inferre. revelatio ut essentialiter vera, quam revelatio praescindendo ab eo quod sit vera. Confirm. 2. Certiorem, & clariorem redideret existentiam Incarnationis dictam Dei summe veracis, quam dictum diaboli summè mendacis. Sed ex evidenti dicto diaboli circa Incarnationem evidentè infertur Incarnatio, quoad esse dictam: ergo ex evidenti dicto Dei summe veracis infertur evidenter Incarnatio non solum quoad esse dictam, sed quoad esse in se.

26 4. Illud infertur evidentè ex his præmissis evidentiibus, quod fide credimus per similes præmissas non evidentes (si fides est discursiva in hoc syllogismo) sed per similes præmissas, dum non sunt evidentes fide credimus Incarnationem Verbi in se, & quoad an est: ergò. Mai. videtur vera: quia dum præmissæ sunt evidentes, evidenter inferunt, quod similes præmissæ inferunt non evidenter, dum non sunt evidentes. 5. Revelatio suadet, quod dicit, supposita autoritate: si revelatio datur probabilitè, suadet probabilitè:

bilitèr : si detur certo , suadet certo : si detur evidentèr moralitèr , suadet eviden-
tèr moralitèr ; et si detur evidentèr meta-
physicè , suadebit evidentèr meta-
physicè. Sed revelatio dicit evidentèr
Incarnationem esse in esse , & quoad an
est : ergò.

27 6. Id inferunt evidentèr dictæ
præmissæ , quod affirmatur per conclu-
sionem formalem ex illis deductam. Sed
per conclusionem formalem ex his pre-
missis deductam affirmatur Incarnatio
in se , & quoad an est : ergò. Prob. min.
Ex dictis præmissis ita affirmatur : er-
go Incarnatio existit. Sed in hac affir-
matur Incarnatio in se , & quoad an est :
ergò. Mai. & min. quæ videtur vera,
prob. Ex similibus præmissis ; quando
non sunt evidentes deducitur conclusio
formalis , in qua ita affirmatur : ergo In-
carnatio existit : ergo & quando , &
præmissæ sunt evidentes , ita affirma-
tur. 7. Præcipue : Id infertur eviden-
tèr ex his præmissis , de quo neque du-
bitari , neque prudentè possit formi-
dari , positis præmissis. Sed positis præ-
missis , neque dubitari , neque prudentè
potest formidari de Incarnatione in
se , & quoad an est : ergò. Probat. min.

Posito evidentē obiecto formalī conclusionis: ergo *Incarnatio existit*, neque dubitari, neque prudentē formidari potest de Incarnatione in se, & quoad *an est*. Sed positis his præmissis, evidentē ponitur evidentē obiectum formale huius conclusionis: ergo *Incarnatio existit*: ergo.

28 Aliæ impugnationes facile deduci possunt ex rationibus nostræ conclusionis. Similiter aliæ solutiones dari solent, quæ vel reduci possunt ad solutiones datas, vel contra, quia facile deduci possunt impugnationes iam ex nostris rationibus, iam ex impugnationibus contra solutiones datas. Tandem impugnabit aliquis dictam solutionem. Mysterium fidei debet credi ut revelatum est. Sed per evidentiā in attestante, mysterium est evidens in esse revelati: ergo potest, & debet credi ut evidens est. Prob. mai. Quia mysterium fidei debet credi ut est obiectum fidei, & obiectum fidei tale est ut *revelatum*. Aliter. Non potest credi Incarnatio, nisi ut inseratur ex revelatione. Sed ex evidenti revelatione vera per se solum inseratur Incarnatio quoad esse revelationem: ergo ex tali revelatione solum

potest credi Incarnatio quoad esse re-
velatam. Sed hoc est evidens : ergo so-
lum potest credi id quod est evidens.

SECTIO IIJ.

Solvuntur argumenta.

29

Obijc. i. Authoritates
D. Thom. quibus vidi-
mus D. Thom. sentire evidentiam in
attestante non facere evidens myste-
rium in se. *Resp.* hanc videri mentem
D. Thom. sed quia ingenuè fateor me
non percipere efficaciam rationis Div.
Thom. ideo, eius venia, cum Authori-
bus citatis tām Thomistis, quām no-
stris, propter rationes datas tenemus
nostram conclusionem.

30

Obijc. 2. Si evidētia in atte-
stante cōvinceret intellectum ad assen-
sum rei revelatæ, quia quiescit intellectus
in tali re. Sed non quiescit : ergo.
Prob. min. Intellectus non quiescit in
re quam *in se* non videt. Sed non videat
in se rem revelatam: ergo. 2. Nulla est
implicatio in eo, quod quis cognoscat
evidenter motivum credendi, ut non
manifestans obiectum credendum. Sed

tunc daretur evidētia in attestante si-
ne evidētia rei in se: ergo. Argumen-
tum probat non posse dari evidētiam
abstraktivam rei, quin simul detur evi-
dētia intuitiva; imò quæ simul esset
evidētia intuitiva, quia non quiesce-
ret intellectus in re, donec daretur evi-
dētia intuitiva. *Resp.* dist. mai. Qui es-
ceret intellectus quiete opposita *dubita-*
zioni, & *formidini* prudenti, conc. mai.
quiete opposita appetitui videndi rem
perfectius, & perfectius, neg. mai. quia
hac quiete non quiescit, donec videat
rem intuitivè *in se*; sed non est necessa-
ria hæc *quies* ad evidētiam abstrakti-
vam: sufficit enim prima. *Ad 2.* nega-
mai. propter rationes nostræ conclu-
sionis.

31 Obiic. 3. Evidētia medij ex-
trinseci alicuius rei non pugnat cum
obscuritate rei. Sed evidētia in atte-
stante est evidētia medij extrinseci: er-
go. Prob. mai. Impossibilitas ab extrin-
seco rei non pugnat cum possibiliitate,
imò futuritione rei requisita ad spem:
ergo evidētia medij extrinseci rei non
tollit obscuritatem requisitam ad fi-
dem. Prob. ant. Revelatio damnatio-
nis est impossibilitas ab extrinsecō sa-
lutis,

futis. Sed hæc non tollit potestatem ad perandum constitutam per cognitionem futuritionis salutis: ergo. *Responso* mai. Ad prob. dist. ant. Impossibilitas consequens non tollit futuritionem requisitam ad spem, conc. ant. impossibilitas antecedens, neg. ant. & conf. Ad prob. conc. mai. dist. min. Hæc revelatio non tollit potestatem ad spem, si sit cōsequens omissionem liberam spei, conc. mai. si sit antecedens omissionem liberam spei, neg. min. & conf. Itaque ut dicemus suo loco , revelatio de damnatione tollit potestatem ad sperādum, quādo est antecedens omissionem spei; quando verò est consequens non eam tollit, potius eam supponit. Ex quo quod sequitur est, quod pro priori, seu antecedentē ad evidentiam in attestante possit dari obscuritas rei *in se*, à passitate spei ; non verò quod consequenter ad evidentiam in attestante detur obscuritas rei *in se*; quin consequenter ad hanc evidentiam, evidentē apparet res *in se*.

32 Obijc. 4. Evidentia medijs extrinseci est evidētia rei præcisè secundum rationem communem. Sed cum evidētia rei secundum rationem com-

munem non tollit obscuritatem rei secundum rationem particularem, seu rei in se: ergo. Prob. mai. Esse demonstratum hominem esse risibilem est medium extrinsecum risibilitatis. Sed hanc esse demonstratam est evidentia risibilitatis secundum rationem communem; non secundum rationem particularem, quae distinguitur a reliquis demonstrabilibus: ergo Prob. min. Per idem medium potest probari quævis alia veritas distincta a risibilitate, scilicet per demonstrationem cuiusvis veritatis: ergo, Resp. neg. mai. Ad prob. conc. mai. neg. min. Ad prob. dist. ant. & detegitur quæ forte est æquivocatio. Per idem medium demonstrationis cuiusvis rei potest probari quævis res distincta a risibilitate. conc. ant. per idem medium demonstrationis risibilitatis, neg. ant. vel forte clarius neg. absolute ant. Itaque aliud est, quod quævis res possit demonstrari, & probari per eius demonstrationem, & hoc est verum, & in hoc conveniunt omnes veritates; aliud est, quod per demonstrationem risibilitatis possit probari alia res: & hoc est falsum: quia per demonstrationem risibilitatis non ostenduntur aliae res: sicut

per

per visionem Compluti ostenditur Complutum, & non Matritum, quamvis hoc possit ostendi per alias visiones; ideo sicut per visionem Compluti videtur Complutum secundum rationem particularem Compluti; & non præcisè secundum rationem communem *visi*, aut *visibilis*, aut *opidi*; ita similitè per demonstrationem *risibilitatis* estenditur *risibilitas* secundum rationem particularem; & non præcisè secundum rationem communem *demonstrata*; aut *demonstrabilis*.

33. Insistunt Salmant. & Gonet. Authoritas revelans solum facit evidens mysterium quoad rationem communem revelati: ergo non facit evidens mysterium quoad rationem particularem. Prob. ant. Authoritas revelans est medium commune omnibus mysterijs: ergo dum est evidens solum facit evidens mysterium quoad rationem communem. Confirm. Evidentia creditibilitatis relinquit obscura mysteria: quia tantum est evidentia rationis communis omnibus mysterijs. Sed authoritas revelans est ratio communis omnibus mysterijs revelatis: ergo relinquit obscura mysteria. Argumentum pro-

bat, quod si Beatus videret aliqua possibilia in *Verbo*, aut in scientia divina, solum haberet evidentiam possibilium secundum rationem communem: quia ratio erat communis. Præterea.

34 Resp. neg. ant. Ad prob. dist. ant. Authoritas revelans *certo moraliter* est medium commune omnibus mysterijs, conc. ant. authoritas revelans *evidenter*, neg. ant. quia non omnia mysteria sunt revelata metaphysicè evidenter, & insuper neg. cons. Quia si cut authoritas revelans *certo moraliter* quamvis est medium commune omnibus mysterijs, reddit moraliter certa mysteria quoad rationem particularem: ideoque vi illius debemus credere certo, & firmiter mysteria non solum quoad rationem communem; sed etiam quoad rationem particularem: similiiter si omnia mysteria essent evidenter revelata, omnia evidencia quoad rationem particularem: quia non habet maiorem vim certitudine revelationis ad refundendam certitudinem in mysterio, quam evidencia ad refundendam evidentiam. Hæc ita sunt casu, quo omnia mysteria forent evidenter revelata: cum tamen non ita se habeant omnia, faci-

facilius erit evidentiam vnius revelacionis, & sensus mysterij facere evidentiā illius quoad rationem particularem: quia non conveniunt omnia in esse evidenter revelata. *Ad confirm.* Neg. mai. quoad causalem: quia evidētia credibilitatis non ideo relinquit obscura mysteria, quia tantum est evidētia rationis communis: ideo enim relinquit obscura mysteria: quia non est evidenter metaphysicē connexa cum mysterijs.

35 Obijc. 5. Evidētia credibilitatis relinquit obscura mysteria. Sed evidētia credibilitatis est evidētia in attestante: ergo. Prob. min. Non potest credi fide divina nisi verum. Sed evidētia credibilitatis reddit mysteria evidenter credibilia fide divina: ergo. Argumentum probat, evidētiam credibilitatis reddere mysteria evidētia in se, & quoad *an est*: quia reddit credibilia mysteria in se, & quoad *an est*. *Resp.* conc. mai. neg. min. Ad prob dist. mai. Non potest credi fide divina naturali, nisi verum, neg. mai. quia rusticus credit quaternitatem Personarum, quae non datur: fide supernaturali, subdist. & hoc non est evidens, conc. mai. quia

ali-

aliqui solum negant falsitatem fidei ex natura rei ; alij ratione decentiae , alij dicunt fidem posse moveri ex revelatione falso existimata ; & sunt qui dicant , Deum posse loqui falsum. De hoc argumento latè disp. 3. secl. 2. ab obiect. 2.

SECTIO IV.

An fides possit stare cum evidentia in attestante, casu quo hec evidentia reddat evidens mysterium quoad

An est?

36

Sup. omnia notabilia , quæ posita sunt secl. 1. posse hic applicari, quæ non ponimus, ne repetamus. Sup. 2. Cum evidentia mysterij quoad *an est*, posse dari fidem mysterij quoad *quid est*. Prob. Cum evidentia mysterij quoad *an est*, potest dari revelatio obscura mysterij quoad *quid est*. Sed cum revelatione obscura mysterij potest dari fides circa tale mysterium ea ratione , qua est obscurum: ergo. Min. est certa ; & mai. videtur clara : quia potest esse evidens dari aliquod mysterium , quin sit evidens , in quo consistat tale mysterium : sicut potest

test esse evidentē credibile aliquod mysterium , quin sit evidentē credibile hoc , vel illud prædicatum , in quo consistit mysterium.

37 His suppositis. Bañez hic quæst. 5. artic. 1. Ferre quæst. 4. §. 9. Coninc disp. 9. Lugo disp. 2. dub. 1. Arriaga disp. 4. P. Doct. Pein. hic num. 36. dicunt fidem non posse stare cum evidētia in attestante. Cum hic reputandus est Mastrius in 3. dist. 24. quia licet obscura loquatur ; in rationibus supponit , dari obscuritatem circa mysterium revelatum. Gonet dis- put. 1. artic. 7. Saltmant. disp. 3. dubi & alij citati sect. antecedente , ideo dicunt , cum evidētia in attestante posse dari fidem , quia talis evidētia solum reddit evidens mysterium quoad rationem communem *revelati* ; non verò *in se* , neque quoad *an est*. Et hæc forte est mens D. Thom. Quia hic quæst. 5. art. 1. loquendo de cognitione Angeli ante confirmationem in gratia dicit; *Illa manifestatio excludit fidēi rationem , per quam rediit id apparet , vel videntur id , de quo principaliè est fides.* Et propter alia , quæ dabimus sect. 1. Nihilominus de men-

te D. Thom. verè dubito propter infra dicenda fact. 1. Palanco , & Rios supra absolutè dicunt , fidem non posse stare cum evidentia in attestante : quia hæc reddit evidens mysterium quoad *an est*. Addit Rios , id intelligendum de fide obsequiosa ; non de fide lata , seu non obsequiosa. Et Palanc. disp. 4. quæst. 5. num. 6. se loqui de fide , quæ est argumentum non apparentium quæ reddit intellectum in captivitatem , & in obsequium Dei : quæ communiter dicitur obscura.

38 Oviedo controv. 4. num. 47. dicit fidem stare posse cum evidentia in attestante : quia cum tali evidentia sine alia propositione potest stare assensus liber , & obscurus circa mysterium , & revelationem. Hæc difficultia videntur , cum evidentia in attestante reddat evidens mysterium quoad *an est* , ut fatetur. SS. Primarij dicunt posse dari fidem cum evidentia in attestante reddente evidens mysterium quoad *an est* , absque alia propositione obscura: modo fides non dependat essentialiter à tali evidentiâ , & dicunt non dependere essentialiter à tali evidentiâ ; quia talis evidentiâ est acci-

accidentalis assensui , cum sit ex se in-
differens , ut sit probabilis , certus , aut
evidens iuxta conditionem propositionis
qua regulatur , quæ debet esse ac-
cidentalis actui fidei : alias actus fidei
specificaretur ab argumentis credibili-
tatis certo proponentibus mysteria .

39 Hæc doctrina ingeniosa est ; sed
videtur falsa : quia claritas , quam ha-
bet quivis actus , & modus repræsen-
tandi , quem habet , est essentialis tali
actui : sicut essentialis est actibus vo-
luntatis esse complacentiam , deside-
rium , aut gaudium : & sicut essentialis
est actibus intellectus esse apprehen-
sionem , iudicium , aut discursum . Dein
de verum debet esse , actum fidei spe-
cificari extrinsecè ab argumentis credi-
bilitatis , & ab evidenti credibilitate
tanquam à conditione essentialiter re-
quisita , sine qua non moveret motio-
num fidei ; nec esset proxime aptum ad
movendum ad actum fidei supernatura-
lis , & utilis ad salutem . Quia non po-
test dari actus fidei circa mysteria cre-
denda , qui non sit saltem moraliter
evidens : cum non sufficiat sola proba-
bilis , ut constat ex Innoc . XI . ideo-
que essentialiter supponit proposicio-
nem .


nem saltem moraliter evidenter, cum
qua commensuratur eius evidenter mo-
ralis; nisi forte velis etiam esse acci-
dentale tali actui esse actum fidei, vel
non esse; nihilominus ut *actus fidei* de-
bet esse moraliter evidens. Si ergo
actus fidei specificatur extrinsecè modo
dicto, non tanquam à *motivo*; sed
tanquam à conditione essentialiter re-
quisita ad actum fidei, sine quo non
moveret motivum ad actum fidei su-
pernaturalis. Ab evidenter morali:
quid mirum quod actus evidens i speci-
ficeretur extrinsecè ab evidenti proposi-
tione: & quod actus probabilis speci-
ficeretur extrinsecè à propositione for-
midolosa, & actus certus à proposi-
tione certa.

40. 2. Talis actus *etsi* ortus à pro-
positione clara est actus fidei: quia est
ipsi accidentalis propositio clara: ergo
similiter dicemus de actu probabili,
quod erit probabilis, *etsi* supponat
propositionem certam, aut evidenter:
quia ipsi erit accidentalis talis propo-
sitio. Et similiter assensus evidens de
existentia Dei, manebit evidens, *etsi*
mutetur propositio evidens in *certam*,
aut *probabilem*: quia accidentalis est
ipsi

ipſi talis propositio. - Et ſimiliter actus fidei circa obiectum quia dictum à Deo manebit fidei ; et ſi propositio certa , & moraliter evidens mutetur in propositiōnem probabilem , quia talis propositio eſt accidentalis, & motivum, quod eſt specificativum manet idem. 3. Actus deſiderij eſſentialiter ſupponit notitiam obiecti abſentis präcivit : actus gaudij eſſentialiter ſupponit notitiam obiecti präſentis , & ab eis propositiōnibus ſpecificantur non tanquam à motivo ; ſed tanquam à conditione *sine qua non* moverent tales actus : ergo actus probabilis eſſentialiter ſupponit notitiam formidolofam : actus certus eſſentialiter ſupponit notitiam certam : & actus evidens eſſentialiter ſupponit notitiam claram : & ab eis propositiōnibus ſpecificabuntur , non tanquam à motivo ; ſed tanquam à conditione *sine qua non* moverent tales actus.

41 Suarez disp. 3. ſect. 8 dicit, fidem ſtare poſſe cum evidentia in attestante , reddente evidens mysterium quoad *an eſt* ; ſi aliunde detur propositio obſcurā. Idem tenent Nobiles RR. Cistercienses , qui ſe explicant dicendo,

do, fidem posse dari cum evidentia in attestante; sed non cum evidentia ex attestante, ut vidimus sect. 1. sup. 3. Ripa' 1. disp. 12. sect. 1. Ojea disp. 8. dicunt fidem stare posse cum evidentia in attestante reddente evidens mysterium quoad *an est*, quin detur alia propositio obscura: & quin talis actus sit obscurus; sed positivè clarus. Sendin controv. 8. sect. 3. & 4. dicit tales actum fore elicitorum à fide; sed non esse fidem obsequiosam, & strictam; sed fidem latam. R. P. N. Tyrl. lib. 2. cap. 7. dicit cum evidentia mysterij in attestante posse dari fidem; modo non appareat aliundè, quam per medium fidei etiam sine propositione obscura. Alij RR. dicunt cum evidentia in attestante reddente evidens mysterium quoad *an est* non posse dari fidem circa mysterium quoad *an est*; posse tamen dari fidem circa mysterium quoad *quid est*, de quo diximus sup. 1.



SECTIO V.

Cum evidentia in attestante reddente evi-
dens mysterium quoad An est, potest dari
fides circa mysterium quoad An est
aliqua alia propositione obscuras;
que fides erit positivè
clara.

42

Prob. i. Fides potest stare
cum illa evidentia, quæ
non excludat rationem fidei. Sed dicta
evidentia in attestante etiam sine pro-
positione obscura non excludit ra-
tionem fidei: ergo. Probat. min. Ad
summum sola evidentia beatitudinis,
qua Deus videtur per essentiam, exclu-
dit rationem fidei. Sed dicta evidentia
in attestante non est evidentia beatitu-
dinis: ergo. Prob. mai. ex D. Thom.
quæst. 5. art. 1. Cum Angelus ante con-
firmationem, & homo ante peccatum non
habuerint beatitudinem, qua Deus per es-
sentiam videtur: manifestum est, quod non
habuit sic manifestam cognitionem, quod
excluderetur ratio fidei. Et nota ly man-
ifestum est, quo denotat D. Thom. cla-
rum esse nullam aliam cognitionem
De Fide. II. Z. quan-

quantumvis claram excludere rationem fidei, nec propositionem requisitam, & sufficientem ad fidem. Confirm. Clarius est visio rerum in Verbo, quam evidenter dicta in attestante etiam sine propositione obscura; sed visio rerum in Verbo non excludit rationem fidei: ergo. Prob. min. Necesse est dicere, quod Angelus ante confirmationem, in gratia habuit fidem. Sed Angelus tunc videbat res in Verbo: ergo. Mai. est D. Thom. quæst. 5. art. 1. & omnium ferè Theologorum. Prob. min. ex Aug. relato à D. Thom. initio huius quæst. 5. Angelus in statu sua prima conditionis ante confirmationem, vel lapsus, habuit oculum contemplationis, videbat enim res in Verbo, ut Aug. dicit in resuper Genes. ad literam.

43 Confirm. 2. Ea quæ reddunt evidenter veritatem dicentis mysterium, reddunt evidens esse verum mysterium, quod dicit. Sed cum evidenter veritatis dicentis mysterium potest dazi fides: ergo & cum evidenter mysterij. Prob. min. Fides potest stare cum visione miraculi facti à Propheta in confirmationem alicuius mysterij. Sed hæc visio fundat evidenter veritatis dicen-

tis:

tis: ergò. Mai. est certa: quia ad hoc sit miraculum, ut credatur mysterium. Prob. min. Ex D. Thom. 3. ad Annibald. dist. 24. quæst. vnic. art. 4. ad 3. *Dicendum, quod miracula non probant per se fidem; sed veritatem enuntiantis fidem.* Nunc sic. Sed fidem probant per se evidenter moraliter: ergo veritatem enuntiantis fidem probant plusquam evidenter moraliter; & consequenter evidenter physicè, aut metaphysicè. Prob. 22 min. ex D. Thom. hic quæst. 5. art. 2. *Si aliquis Prophet a prænuntiaret in sermone Domini aliquid futurum, & adhiberet signum, mortuum suscitando: ex hoc signo convinceretur intellectus videntis, ut cognosceret manifestè, hoc dici à Deo, qui non menicitur.* Nota ly manifestè; quod est idem ac clare cognoscatur. Ob hæc, & alia, quæ dedimus disp. 12 sect. 2. videnda, dubito de mente Divi Thom.

44 Prob. 2. Assensus propter autoritatem divinam revelantem est assensus fidei. Sed data dicta evidentia, etiam sine propositione obscura, datur assensus propter autoritatem divinam revelantem: ergò. Min. est certa: quia claritas, & obscuritas nō est motivum;

Sed conditio applicans motivum. Prob. mai. Assensus propter motivum fidei pertinet ad fidem. Sed assensus propter authoritatem divinam revelantem non pertinet ad fidem humanam, neque Angelicam: ergo est assensus fidei divinæ. Prob. mai. Quia actus fidei specificatur à motivo fidei. *Confirm.* Quod conduit ad aliquem actum, non impedit tam alium actum eo quod melius proponatur. Sed motivum fidei conduceat ad actum fidei: ergo non impedit actum fidei eo quod cum evidentia in attestante proponatur. Prob. mai. cavendo solutionem. Evidentia motivi fidei humanæ, seu humanæ locutionis, ut dignæ assensu fidei humanæ, non impedit actum fidei humanæ. Sed non alia ratione, nisi quia motivum fidei humanæ conduceat ad actum fidei humanæ, & licet melius proponatur per evidentiam, quam alter: ergo. Prob. 2. mai. Quod evidenter proponatur motivū virtutum Theologalium Charitatis, & Spei, non impedit earum actus charitatis, & spei: quia motivum charitatis, & spei conduceat ad actus charitatis, & spei, & ideo non impedit tales actus, quod melius proponatur; ergo quod conduceat ad actum

actum fidei, non impedit talem actum;
eo quod melius proponatur.

45 Confirm. 2. cavendo solutio-
nem. Habitus fidei potest elicere assen-
sum evidentem circa mysterium: ergo
potest dari fides cum dicta evidentia in
attestante. Prob. ant. Habitus fidei po-
tent elicere assensum evidentem circa
authoritatem, & revelationem myste-
rij, ut Adversarij fatentur. Sed hic af-
fensus est assensus mysterij: quia obie-
ctum conclusionis non distinguitur ab
objeto præmissarum: ergo. Vide plu-
ra hic sect. 2. Prob. 2. ant. Si habitus
fidei potest elicere assensum evidentem
circa obiectum formale fidei; cur non
poterit elicere actum evidentem circa
obiectum materiale? Confirm. 3. Eate-
nus non posset dari fides cum dicta evi-
dentia in attestante, sine propositione
obscura: quia de ratione fidei est, quod
sit positivè obscura. Sed non est de ra-
tione fidei, quod sit positivè obscuras:
ergo. Prob. min. De ratione fidei divi-
næ circa mysteria est, quod saltem sit
evidens moraliter. Sed quod saltem est
evidens moraliter non est positivè obs-
curum: ergo. Probat. min. Quia dari
Romam non est positivè obscurum, eo

quod sit evidens moraliter. Vide alia;
quæ deditus disput. 11. sect. 1. quæ
omittimus, ne tam brevi repetamus.

46 Prob. 3. Ab Scriptura, & SS.
PP. non magis prædicatur propriæ fidei
obscuritas circa obiectum formale, quā
obscuritas circa obiectum materiale.
Sed iuxta dicta disp. 11. & iuxta plu-
res ex Adversarijs, potest stare fides
cum evidētia circa obiectum materia-
le: ergo potest stare fides cum evidē-
tia circa obiectum materiale, & forma-
le. Prob. mai. Quia obscuritas, quæ di-
rectè asseritur ab Scriptura, & SS. PP.
est obscuritas circa obiectum materiale.
Ad Hebr. 11. *Argumentum non appa-
rentium.* Aug. tract. 68. in Ioan. *Quid
est fides, nisi credere quod non vides?*
Greg. 16. *Quæ enim apparent, iam non
habent fidem; sed cognitionem.* Fides non
habet meritum, ubi humana ratio præbet
experimentum. Confirm. Eatenus esset
de ratione fidei, quod esset obscura:
quia de ratione fidei esset, quod esset
obsequiosa, & meritoria. Sed non est
de ratione fidei, quod sit obsequiosa, &
meritoria: ergo. Prob. min. Non est
de ratione charitatis, nec de ratione
Ipsi, quod sit obsequiosa, & meritoria:

ergo

ergo nec de ratione fidei. *Confirm.* 22
 Eatenus esset de ratione fidei, quod es-
 set obscura: quia de ratione fidei est,
 quod sit obsequiosa, & meritoria. Sed
 cum dicta evidentia, sine propositione
 obscura, componitur, quod fides sit ob-
 sequiosa, & meritoria: ergo fides po-
 test componi cum dicta evidentia. *Prob.*
min. Meritum, & obsequium fidei con-
 sistit in præparatione animi, & deter-
 minatione ad anteponendum revelationem
 Dei sufficienter propositam, cuivis
 rationi in contrarium occurrenti; seu
 in æstimando super omnia testimonium
 Dei sufficienter apparens. Sed cum di-
 cta evidentia, sine propositione obscu-
 ra, componitur præparatio animi, &
 determinatio ad anteponendam reve-
 lationem Dei sufficienter propositam
 cuivis rationi in contrarium occurren-
 ti, &c. ergo. *Prob. min.* & explicatur
mai. Cum omnimoda paupertate stat
 meritum eleemosynæ consistens in de-
 terminatione dandi multa bona paupe-
 ribus, si illa haberet: ergo cum dicta
 evidentia, sine propositione obscura,
 stat meritum, & obsequium fidei con-
 sistens in determinatione anteponendi
 revelationem Dei sufficienter propo-

Sitam cuivis rationi in contrarium occurrenti.

47 Prob. 4. præcipue contra Thomistas. Angelus supremus ante confirmationem, & Iapsum habuit evidentiā in attestante. Sed habuit fidem ergo cum evidentiā in attestante potest stare fides. Min. est D. Thom. & ferè omnium. Prob. mai. Angelus supremus evidentē cognovit nō dari aliam creaturam, quæ posset eum illuminare revelando mysteria: ergo evidentē cognoscet illuminari à Deo, qui non mentitur. Prob. ant. Angelus supremus evidentē cognoscet, saltem evidentiā physica, se esse supremum, & quod ab inferiori non posset illuminari, & quod talis operatio non erat à se: quia ante illam non erat in actu operandi: ergo evidentē cognoscet, saltem evidentiā physica, ut caveam solutionem, se non illuminari à creatura: ergo evidentē cognoscet, se illuminari à Deo. *Confirm.* Angeli cum fide quam habuerunt in primo instanti, evidentē sciebant, quod omnis operatio, quæ cum eorum esse, incipiebat, esse specialiter à Deo: & consequenter, quod actus intellectus tunc elicitus non poterat esse falsus.

falsus. Sed tunc habuerunt assensum evidentiæ credibilitatis: ergo evidenter cognoverunt hunc esse verum. Mai. est D. Thom. 1. part. quæst. 13. art. 5: & ferè omnium Thomistarum. Nunc sic. Qui evidenter cognoscit esse verum assensum credibilitatis, evidenter cognoscit dari revelationem. Sed Angeli evidenter cognoscebant esse verum assensum de credibilitate: ergò. Prob. mai. Quia revelatio divina reddit credibiles veritates fide divina. *Confirm. 2.* Ut Angeli possent prudenter credere in primo instanti, necesse erat, quod habent evidentiā credibilitatis de revelatione. Sed non potuerunt habere tam evidentiā, quin habuerint evidentiā ipsius revelationis: ergò. Prob. min. Talis evidentiā credibilitatis non potuit haberi ex motivis extrinsecis, ut habetur in nobis: quia non dabantur, nec ex regula infallibili specialiter proponente illam revelationem, ut in nobis est Ecclesia, vel Pontifex: ergo cum non sit aliud, à quo habeatur, habetur per evidentiā ipsius revelationis.

48 Confirm. 3. Angeli habuerunt fidem in primo instanti. Sed tunc habue-

haerunt evidentiam in attestante: ergo.
 Mai. est Div. Thom. & ferè omnium.
 Prob. min. Deus clarius revelavit my-
 steria Angelis, quam Patriarchis, & Pro-
 phetis. Sed Patriarchis, & Prophetis re-
 velavit mysteria, saltem sæpè, cum evi-
 dentia in attestante: ergo. Prob. mai.
 Quia Deus in donis gratiæ regulariter
 se conformat cum natura recipientis.
Confirm. 4. Patriarchæ, & Prophetæ
 in primis habebant fidem. Ad Rom. 4.
Credit Abraham Deo, & reputatum est
illi ad iustitiam. Sed habebant eviden-
 tiam in attestante: ergo. Probat. min.
 1. Quia iuxta D. Thom. lumen prophe-
 ticum est evidens, & ideo Prophetæ
 vocantur *videntes.* 2. Quia congruum
 erat, ut primis fundatoribus fidei dare-
 tur hæc evidencia, ut haberent clario-
 rem cognitionem de mysterijs. 3. Quia
 cum tunc non esset regula visivis infal-
 libilior, qualis est modo Pontifex, de-
 bebat habere aliquam regulam eis de-
 terminantem credenda, quæ non potuit
 esse alia, quam evidencia in attestante.
Confirm. 5. Deus potuit manifestare An-
 gelo evidenti revelatione fidem, quam
 habuit in primo instanti. Sed tunc ha-
 beret fidem cum evidencia in attestante:
 ergo

ergo potest dari fides cum tali eviden-
tia. Mai. videtur vera : quia non appa-
ret implicatio. Sicut enim Deus potest
evidenter manifestare alia obiecta , cur
non poterit fidem? præsertim cum sciē-
tia possit opinativè cognosci : opinio
demonstrativè attingi : scientia credi,
& sic credimus scientiam Christi, ut ho-
minis. Deinde non appareat implicatio,
quod Angelo revelet manifeste *esse in
gratia*, ad quam se disposuit per fidem.
Prob. min. Tunc potest cognoscere evi-
dentè, fidem esse veram. Sed tunc cog-
nosceret evidentè fidem , quam habe-
bat : ergò.

49 Prob. 5. Div. Paul. post rap-
tum habuit fidem eorum, quæ vidit, &
audivit. Sed tunc habebat evidenciam
in attestante : ergò. Probat. min. Tunc
evidenter recordabatur de his, quæ au-
divit in reptu. Ex 2. Corinth. 12. Au-
divit arcana verba , quæ non licet homini
loqui. Confirm. Iuxta D. Thom. 3. part.
quæst. 13. art. 4. Miracula, quæ Chri-
stus fecit, sufficientia erant ad manife-
standam Divinitatem. Sed ea faciebat, ut
Iudæi crederent esse Deum : ergo cum
manifestatione Divinitatis poterant cré-
dere esse Deum. Confirm. 2. Videntes

miracula Christi in confirmationem suæ doctrinæ, manifestè cognoscebant illam doctrinam dici à Deo, qui non mentitur, & consequenter habebant evidentiam in attestante. Sed per talia miracula intendebat Christus, quod crederent suam doctrinam: ergo cum evidētia in attestante poterat stare fides de sua doctrina. Mai. est D. Thom. hic quæst. 5. art. 2. citatus initio huius lect.

SECTIO VI.

Solvuntur argumenta:

50

Obijc. 1. D. Thom. 3. ad Annib. dist. 24. quæst. vnic. art. 4. ad 3. dicit, ideo à vidente miracula facta in confirmationem doctrinæ posse haberi fidem: quia doctrina non est in se evidens. Et hic quæst. 5: artic. 2. dicit similitè ad præsentiam miraculi posse credi: quia futurum, quod prædictiūr in se evidens non esset. Et hic quæst. 1. art. 4. dicit: Nec fides; nec opinio potest esse de ipsis visis, aut secundum sensum, aut secundum intellectum. Et art. 5. Non est autem possibile, quod idem ab eodem sit visum, & creditum.

Item

Item similia repetit s^æpē, vt vidi mus
disp. 11. sect. 2. ergo iuxta D. Thom.
si evidētia in attestante reddit evidētia
mysterium quoad *an est*, cum evidētia
in attestante non potest stare fides.
Resp. Vera esse, quæ ab arguente po-
nuntur; sed cum alia habeat, vt vidi-
mus in probatione conclusionis, quæ
videntur sonare oppositum, ideo dubia-
to de mente D. Thom. & eius venia
sequimur nostram sententiam.

51 Obijc. 2. Ex Palanco, & Rios:
Implicitat, quod intellectus eliciat assen-
sum fidei, nisi moveatur cum indiffe-
rentia, & liberè ex autoritate divina
revelante: nisi moveatur cum indiffe-
rentia determinanda à voluntate. Sed
implicitat intellectum moveri cum indif-
ferentia, & liberè per medium evidē-
tè manifestans obiectum, & necessitans
ad assensum: ergo. *Confirm.* Implicita-
quod eadem bonitas eodem modo cog-
nita necessitat voluntatem ad amorem
obiecti, & simul moveat cum indiffe-
rentia ad amorem eiusdem obiecti præ-
cisè: ergo similitè. Antecedens est om-
nium. Ideò concedentes in Christo, &
Beatis amorem necessarium, & liberum
Dei, recurgunt ad diversa obiecta inadeg-
quarè,

quate, vel ad diversas propositiones eiusdem obiecti. *Resp.* neg. mai. propter rationes conclusionis. *Ad confirm.* neg. mai. quæ falsa est: quia visio beata necessitans ad amorem hunc, vel illum, potest movere liberè ad amorem, signatè sic tendentem: *amo*, & *amarem*, eis si solum obscurè cognoscam divinam beatitudinem: qui amor est liber. Et similiter neg. conf. Quia propositiō necessitans ad hunc, vel illum assensum, potest liberè movere ad assensum ortum ex preparatione animi *signata* ad assensum, et si obiectum obscurè cognosceretur. De quo obiect. 3. Quod verò in Christo, & Beatis recurrent ad diversa obiecta, ut salvent amorem liberum, & necessarium, est quia iste est rectus modus, & expeditus salvandi amorem liberum; non tamen unicus: quia qui amaret modo supra dicto, liberè amaret, ut patet. Et neg. quod intellectus debeat credere liberè, quoties credit.

§ 2 Infist. Palanc. Per nos assensus qui movetur per discursum ex obiecto formalī ad materiale distinctum, non est assensus fidei. Sed assensus, qui habetur ex evidētia in attestante moveatur per discursum formalem ex obiecto

formali ad materialem distinctum : ergo. Prob. min. Authoritas divina revelans ut evidenter cognita consistit in his præmissis , *Quidquid Deus dicit est verum : Deus dicit, Deum esse Trinum.* Sed hæc præmissæ ut evidenter cognitæ non possunt movere ad assensum Trinitatis , nisi per discursum: ergo. Probat. min. Ille præmissæ important evidenter connexionem, & illationem mysterij revelati. Sed præmissæ evidenter præcognitæ, & evidenter connexæ non aliter movent ad assensum mysterij nisi per evidētem discursum: ergo. Confirm. Omnis transitus ex obiecto formali , ut evidenter connexo cum materiali ad materiali , fit per formalem discursum. Sed in nostro casu fit hic transitus : ergo. Mai. est vera : quia in hoc consistit formaliter discursus. Confirm. 2. Moveri connexionis evidenter cognitæ. Sed implicat sic movere , quin moveat per discursum : ergo. Prob. maj. Quod sic moveri, movet necessitando intellectum ad assensum in vi illationis. Sed implicat sic movere nisi per discursum: ergo.

53 Resp. dist. mai. Assensus , qui moveatur per discursum ex obiecto formalij ad materiale distinctum , si mo-

veatur per syllogismum, conc. mai. Quia ut diximus disp. 10. si sic movetur, non movetur præcisè ex obiecto formalí fidei; sed insuper movetur ex alio distincto ab obiecto formalí; si assensus moveatur per entimema, neg. mai. Quia tunc moveri potest ex solo obiecto formalí fidei: & dist. similiter min. nego conf. Ad prob. dist. mai. Consistit in his præmissis, *Quidquid Deus dicit, ita ut necessario debeant facere duas præmissas*, neg. mai. ut faciant iam unum antecedens, iam duas præmissas, conc. mai. & conc. min. dist. conf. per discursum per syllogismum, vel entimema, conc. conf. per discursum determinatè per syllogismum, neg. conf. Itaque, ut diximus, si discursus fiat per syllogismum, non est assensus fidei; est tamen assensus fidei, si discursus fiat per entimema. Et hinc patet ad primam, & secundam confirmationem. *Ad 1. conc. mai.* de discursu per entimema, vel syllogismum. *Ad 2. dist. min. modo dicto*, neg. conf. Ad prob. conc. mai. dist. min. modo dicto. Vide quæ dedit mus disp. 10.

54. Obijc. 3. Palanco, & Rios:
'Assensus fidei strictè talis, qualis est fides

Fides Theologica, est essentialiter obsequiosus. Sed cum evidentia in attestante non stat assensus obsequiosus : ergo. Prob. min. Quia intellectus irresistibiliter convincitur ad assensum ante omnem effectum voluntatis. *Confirm.* Implicat voluntatem necessitari antecedenter ad amandum obiectum, & quod obsequiosè illud amet per eandem propositionem : ergo implicat intellectum necessitari ad assensum , & quod obsequiosè assentiatur per eandem propositionem. *Resp.* neg. mai. Quia licet frequenter sit obsequiosus actus fidei: quia frequenter habetur sine evidentiis non tamen est necessarium, quod sit obsequiosus : quia potest dari assensus propter autoritatem revelantem manifestè propositam , præsertim cum non sit de ratione fidei esse positivè obscuram , propter rationes nostræ conclusionis. *Ad confirm.* Nego mai. absolute loquendo: quia potest sic amare , ut signatè dicat , & istud obiectum amarem, et si non proponeretur ita clare: qui amor esset obsequiosus, & liber. Et similiter neg. cons. Quia posset intellectus ita assentiri , ut voluntas signatè esset parata ad assensum , casu quo

non proponeretur obiectum ita clarè, qui assensus determinatè sumptus esset liber: ad modum quo præmissæ necessitant ad conclusionem; liberum tamen est conclusionem esse directam, aut indirectam. Motivum scientiæ necessitat ad assensum; non tamen necessitat ad assensum, qui simul moveatur ex motivo scientiæ, & fidei, ut diximus disput. 11. sect. 6.

55 Obijc. 4. Ex RR. Cisterciens. Scriptura, & PP. dum sermonem instituant de fide, docere videntur aliquam obscuritatem esse de conceptu essentiæ fidei. Sed non est de conceptu essentiali fidei obscuritas circa obiectum materiale: ergo de conceptu fidei est obscuritas circa obiectum formale. Mai. & min. videntur constare ex dictis disput. 11. Ex Paul. *Fides est argumentum non apparentium.* Ex Aug. *Quid est fides? Credere quod non vides.* Et ex Chrysost. Gregor. Bern. & alijs ibi citatis. *Confirm.* Actus, cui repugnat esse obsequium divinæ autoritati revelanti, non potest esse actus fidei. Sed assensui nitenti in evidentia in absentia, repugnat esse obsequium divinæ autoritati revelanti: ergo. *Confirm.* 2. Assensus cui

cui repugnat, quod oriatur ex imperio
piæ affectionis, non potest esse actus fa-
dei. Sed assensui nienti in evidentia in-
attestante, repugnat, quod oriatur ex
imperio piæ affectionis: ergo.

56 Argumentum grave est, & con-
sideratione dignum; si tamen piæ ocu-
lis habemus quæ diximus disput. 1. 1.
Sect. 1. 2. & 3. de obscuritate requisita
a SS. P P. ad idem, forte non erit diffi-
cili solutio. Resp. dist. mai. docere vi-
dentur aliquam obscuritatem respecti-
vam, & latam, esse de conceptu essen-
tiali generico fidei divinæ, conc. mai.
obscuritatem positivam, & absolutam,
neg. mai. & conc. min. dist. eodem
modo conseq. Itaque verum est, quod
frequenter loquendo, fides est earum
rerum, quæ non apparent, neque aliunde,
neque ex medio fidei: & quod fre-
quenter accidit, hoc esse dicimus cum
Philosopho; & etiam est verum, quod
obscuritas respectiva, & lata est de con-
ceptu generico fidei divinæ, v. gr. ea
obscuritas, qua omnis creatura tenebra
est comparata divino lumini, ut se expli-
cat D. Thom. citatus disp. 11. sect. 2.
quæ obscuritas valdè lata est. Item ex
conceptu generico fidei divinæ est

obscuritas respectiva : quatenus ex tali conceptu non petit habere claritatem metaphysicam, nec physicam; quavis ex tali conceptu petat claritatem evidentiæ moralis : & permittat claritatem physicam, & metaphysicam, iam aliunde quam per medium fidei , v. gr. circa existentiam Dei Authoris naturæ ; iam per medium fidei, vt intendimus authoritatibus , & rationibus repetendis. Sicut ergo , quamvis authoritates elliæ directè videntur exigere pro conceptu fidei obscuritatem in obiecto materiali, vt consideranti patebit; RR. citati dicunt non esse de conceptu fidei obscuritatem in obiecto materiali : cur erit de conceptu fidei obscuritas positiva in obiecto formalis? Præsertim cum proximis suadere intendamus disp. 11. sect. 1. de conceptu essentiali fidei divinæ esse , quod sit positivè clara ; & quod obiectum formale sit positivè clarum per medium fidei; sicut est positivè certum.

57 Ad confirm. dist. mai. Actus, cui repugnat esse obsequium divinæ authoritati revelanti, non potest esse actus fidei meritoriae , conc. mai. non meritoriae , neg. mai. & min. Quia ut diximus,

mus, assensus nitens in evidētia in at-
testante potest sic tendere etiam signa-
tē, & similiē assentirem, licet cum son-
la evidētia morali appareret authoritas
divina revelans, qui assensus esset liber,
& obsequiosus. Præter quem assensus
propter authoritatem revelantem obs-
cure propositam, qui esset essentialiter
prædeterminatus, esset actus fidei: &
huius actui iuxta dictos RR. repugnat
esse obsequium divinæ authoritati re-
velanti: quia esset essentialiter necessari-
us, & iuxta omnes debet esse possibili-
le, quod Deus antecedenter necessiter
ad actum fidei: ergo non est ita certum,
quod actus fidei debeat esse meritorius,
& obsequiosus, licet sit actus strictæ
fidei. *Ad 2. confirm. neg. mai.* Quiq; ve-
diximus, erit actus fidei, qui moveatur
ex motivo fidei, si moveatur modo suf-
ficieni ad fidem, qualiter movetur, et si
actus sit positivè clarus, & actus prop-
ter authoritatem Dei dicentis, qui sit
essentialiter prædeterminatus, & actus
essentialiter necessarius. Et insuper neg-
min. propter dicta: quia actus nitens
in evidētia in attestante potest signata
sic tendere: *Et assentirem eti solum*
obscure proponeretur authoritas revelans,

qui actus procedere posset ex imperio p̄ix affectionis.

58. Insistunt dicti RR. Actus fidei essentialiter supponit actum voluntatis. Sed actus essentialiter clarus non supponit essentialiter actum voluntatis: ergo talis actus non est actus fidei. Prob. mai. Ex Aug. tract. 26. in Ioan. *Multa potest homo facere non volens; credere autem non potest nisi volens.* Et lib. 1. ad Simplician. quæst. 2. Nec credit aliquis nisi libera voluntate. Bern. lib. 3. de Consid. *Fides est voluntaria prælibatio veritatis nondum propalata.* Resp. dist. mai. Actus fidei obsequiosa, meritoria, & libera essentialiter, supponit actum voluntatis, conc. mai. Actus fidei non obsequiosa, nec meritoria, nec libera saltem essentialiter, neg. mai. & min. absolute loquendo: quia potest esse essentialiter clarus: & quod ita tendat, & firmiter assentire, licet solum cum evidentia morali proponeretur auctoritas divina revelans, qui actus supponit actum voluntatis, & potest illum supponere essenti aliter. Ad prob. August. & Bern. loquuntur de fide obsequiosa, & meritoria, & consequenter libera: quia loquuntur de fide, quæ sit

cont.

conducens, & dispositio ad salutem. Et quidem actus assentiens veritati *quia dicta à Deo*, cum propositione obscura, esset actus credendi ; & tamen si sic *essentialiter præde terminatus*, aut omnino *antecedenter necessarius*, posset non supponere actum voluntatis : ergo non est de essentia *omnis actus fidei* supponere actum voluntatis. Frequentius loquendo, seu actus fidei, qui frequenter elicuntur, supponunt actum voluntatis : quia actus fidei, qui frequentius elicuntur, sumi *meritorij*. & conductent ad salutem; & *veritatis nondum propagare*, non tamen est de essentia actus fidei, quod talis sit : sicut amor Dei frequentius elicitus in via est liber; non tamen est de essentia amoris in via, quod talis sit : quia potest dari actus amoris *antecedenter necessarius*.

SECTIO VII.

Aliæ obiectiones solvuntur.

59

Objecc. 1. Dantur aliqui actus, qui non solum specificantur ex obiecto; sed etiam ex modo tendendi circa illud : talis est

Opinio, quæ quia essentia sua est cogitatio formidolosa, petit motivum assentiendi non apparere *evidenter* connexum cum obiecto: cum ergo de ratione fidei sit esse obsequiosam Deo, & esse obscuram; & hæc deficiant, si motivum sit evidens, non potest dari fides evidens. *Contra.* Verum est aliquos actus non solum specificari ex motivo; sed etiam ex modo tendendi. Tales sunt simplex complacentia, desiderium, gaudium, simplex apprehensio, iudicium, & discursus. Item iudicium opinativum, seu probabile, petit, ne motivum sit evidens, neque certum: quia si cius motivum esset certo connexum, non distingueretur à iudicio certo: eis si motivum esset evidens, non distingueretur à iudicio evidenti; at vero iam diximus pon esse de essentia fidei, esse obsequiosam, & minus esse *positive* obscuram: sicut non est de ratione charitatis Theologicæ esse obsequiosam, neque quod eius obiectum appareat obscurum.

60 Obijc. 2. Ex sapientiſ. MM.
Nullus assensus de ſe componibilis cum formidine physica potest moveri à tam clara propositione obiecti, quæ excludat formidinem physicam. Sed fides de
ſe

se est componibilis cum formidine physica, ut communiter supponitur: ergo fides nō potest moveri à tam clara propositione obiecti, quæ excludat formidinem physicam. Argum. est contra ipsos sapientis. MM. dicentes, actum fidei coniungi posse cum actu scientiæ circa idem obiectum: quia, dum sic coniungitur, incomponibilis est cum formidine physica de existentia obiecti. Resp. conc. mai. dist. min. Fides *in specie sumpta*, seu generice sumpta (physicè loquendo) seu attento præcisè prædicato specifico, seu generico, est de se componibilis cum formidine. conc. min. attento prædicato *specifico*, & *in aividu- li*, neg. min. & conf. Sicut actus intellectus ex se, seu attento præcisè hoc prædicato *actus intellectus* permittit esse probabilis, & falsus; & tamen actui fidei supernaturali repugnat esse probabilem, & magis esse falsum: & actus voluntatis ex hoc prædicato *actus vo- luntatis* permittit esse odium Dei; & hoc repugnat actui amoris Dei, & sic de alijs.

61 Itaque verum est fidem ex se præscendentem ab esse *physicè*, & *meta- physicè* claram, posse contrahi per varias differe-

differentias; aliam, cui repugnet obscuritas moralis, & talis est fides, quæ de facto datur circa mysteria; aliam, cui repugnet obscuritas physica, & metaphysica; & huius conditionis sunt omnes actus evidentes *physice*, & *metaphysice*: quia esse evidentes, certos, aut probabiles, non est, cum sint differentiae accidentiales actibus. Si autem velis, actum fidei *essentialiter* evidenter *metaphysice* differre plusquam numero ab evidenti *moraliter*, verum est; sed est actus fidei, & species subalterna fidei supernaturalis Theologicæ. Sicut actus supernaturalis amoris Dei *essentialiter* necessarius, plusquam numero differt ab amore libero. Cur autem in patria non detur habitus fidei? Dicimus, idem esse, quia Deus deere vit non dari, cum non sit necessarius: quia habitus fidei præcipue datur ad actus fidei per se subsequiosos, & communes omnibus filiis, qui raro dantur in patrias quamvis per accidens possint esse subsequiosi ex præparatione animi ad credendum; et si non esset nota revelatio.

62 Obijc. 3. Si stare potest fides cum evidentia in attestante, de facto daretur in BB. imo & in Deo fides circa

circa mysterium Incarnationis ; im-
circa existentiam Dei ; quia de facto vi-
dent revelationem , & autheritatem
connexas cum Incarnatione, & existen-
tia Dei ; & consequenter assentiuntur
propter illud motivum. Sed illud est
motivum fidei : ergo ille actus erit fidei :
imò non esset , cur non datur in Chri-
sto , & Beatis habitus fidei. *Resp.* Ve-
rū esse in BB. dari assensum fidei pro-
pter rationem argumenti ; in Deo ta-
men non datur ; quia sui ad se non da-
tur fides : ideoque testimonium Dei est
motivum credendi respectu aliorum ;
non verò respectu Dei ; in Christo ta-
men dari potest actus fidei. Habitus
fidei non datur in Beatis propter ratio-
nem datam in antecedenti : & quia cum
detur , vt suppleat pro lumine , dato lu-
mine , non est necessarium.

63 Insist *Qui plenè , & perfectè pos-
sidet bonum , non potest desiderare , ne-
que uti medijs ad illud assequendum.*
Sed Beatus plenè , & perfectè possidet
existentiam Dei per intuitionem Dei in
se ipso : ergo non potest vni medio re-
velationis ad cognoscendam existen-
tiā Dei. *Argum.* probat , Deum plenè
se cognoscentem in essentia Divina , non
se

Se cognoscere in relationibus, neque in
creaturis. Item BB. videntes Deum in
se, non posse videre Deum in creaturis,
Item BB. videntes creaturas in Deo,
non posse videre creaturas in se ipsis.
Et similitè Deum, & BB. amantes Deū
ex uno motivo, non posse Deum amare
ex alijs motivis, & perfectionibus. *Resp.*
dist. mai. Qui plenè, & perfectè possidet
bonum, non potest uti medijs ad illud
consequendum *ea ratione*, qua possidet,
conc. mai. alia ratione, neg. mai. &
cum Beatus, attenta sola visione Dei,
non possideat Deum per medium reve-
lationis, poterit Deum cognoscere *ex*
motivo revelationis.

64 Hic agi posset, quænam fides,
& quomodo sit necessaria ad salutem?
Sed quia de hoc latè egimus disp. 1. de
Justif. se&t. 7. & nihil occurrit adden-
dum, illud omittimus. Similitè agi pos-
set, an Deus conferat omnibus adultis
quam fidelibus, quam infidelibus auxilia
sufficientia ad fidem, & salutem? Sed
quia de hoc similitè latè egimus
disp. 6. de Libero Arbitri. ideo
ea omittimus.

JESUS

DISPUT. XIIJ.

De Subiecto Fidei.

HIC AGEMUS, AN, ET QUOMODO
 in Hæreticis deficiat habitus fidei?
 An detur fides in animabus Purga-
 torij? An detur in Beatis? Et an da-
 tus fuerit in Christo , & in Angelis
 viatoribus?

SECTIO I.

*An habens fidei deficiat in Hæreticis
 propter oppositionem physicam cum
 peccato, vel solum propter oppo-
 sitionem moralern?*

Sup. adeò certum esse in
 Hæreticis deficere habitum
 fidei, vt oppositum censuretur commu-
 nitèr, vt temerarij, & errori proximum
 Diffin-

Difficultas est , an deficiat per oppositionem physicam , an solum per oppositionem moralem ? Thomistæ communiter , quos sequitur Palanço disput . 5 . quæst . 13 . dicunt , deficere habitum per oppositionem physicam ; & ex nostris Vazquez 1 . 2 . disp . 9 1 . cap . 4 . Valencía hic quæst . 5 . punct . 3 . Torres disput . 44 . dub . 2 . Alij dicunt , habitum deficere solum per oppositionem moralem . Ita Suarez disp . 7 . sect . 4 . Coninc disp . 18 . dub . 4 . Becano cap . 11 . Petrus Hurtado disp . 6 . sect . 2 . Galp . Hurtado disp . 5 . diffic . 4 . Lugo disput . 17 . sect . 4 . Oviedo controv . 6 . punct . 5 . Ripanda dub . 13 . de Ente , sect . 7 . Ojea disp . 9 . sect . vlt . Munies . disp . 10 . sect . 5 .

2 Dico habitum fidei solum deficere in Hæretico per oppositionem moralem , seu demeritorie , seu ex lege Dei decernentis privare Hæreticum habitu fidei in pœnam peccati . *Prob.* Nullum datur prædicatum in habitu fidei , ratione cuius *physicè* pugnet cum hæresi : ergo habitus fidei non deficit in Hæretico ex natura rei ; sed solum *demeritorie* , ex lege Dei , & in pœnam peccati . *Prob. ant.* Habitus fidei est

est virtus supernaturalis ad eliciendos actus fidei. Sed virtus ad eliciendos actus si dei ex natura rei solum pugnat cum impotentia ad eliciendos tales actus; non vero cum carentia, nec cum nolitione eliciendi, nec cum volitione habendi actus oppositos: ergo. Prob. min. Ex natura rei recte stat hominem habere potestatem ad aliquid facendum, & illud non facere; sed facere oppositum: ergo.

3. Dices cum Palanco, & communi Thomistatum. Quando deficit ratio formalis motiva fidei, deficit non solum *demeritorie*, & ex lege Dei; sed ex natura rei habitus fidei. Sed in Hæretico deficit ratio formalis motiva fidei: ergo. 2. Si hæresis non pugnaret ex natura rei cum habitu fidei; sed solum *moraliter*, habitus fidei maneret in Hæretico. Sed hoc est falsum: ergo. Prob. mai. Non posset probari, habitum fidei deficere in hæretico ex *vñ demeritoria peccati hæresis*: ergo. Prob. ant. Gravius peccatum est odium Dei, quam peccatum hæresis. Sed habitus fidei non deficit per peccatum odij Deij: ergo.

4. Resp. neg. mai. Ratio est: quia
ex

ex eo quod deficiat, vel destruatur, ut
communitè loquuntur Thomistæ; vel
potius impediatur ratio motiva fidei,
probatur bene, quod deficiat actus fi-
dei: idèque cum hæresi circa unum
articulum non potest stare actus fidei
circa aliud articulum: ut communiter
sentiantur Theologi cum D. Thom. non
vero probatur, quod non possit stare
habitus fidei: sicut ex eo, quod per vo-
litionem efficacem destruatur, seu po-
tius impediatur ratio motiva nolendi,
sequitur, quod per volitionem impe-
diatur voluntas; non vero sequitur, quod
deficiat potestas nolendi. *Ad 2. nego-*
mai. Ad prob. neg. ant. Ad prob. conc.
mai. & min. neg. conf. Quia ex eo quod
peccatum odij sit gravius, quam pecca-
tum hæresis, sequitur, quod mereatur
maiorem pœnam, quam peccatum hæ-
resis; non vero, quod mereatur hanc
pœnam determinatam: & datur con-
gruentia specialis, ut Hæreticus prop-
ter hæresim puniatur privatione habitus
fidei propter specialem oppositionem,
quam dicit hæresis cum habitu fidei.

5 Obijc. 2. Palanc. Hæreticus per
hæresim non retractatam redditur *ha-*
bitualiter hæreticus, & infidelis; & per
habi-

habitum fidei quisque redditur habitualiter fidelis. Sed ex natura rei repugnat esse habitualiter infidelem, & habitualiter fidelem : ergo. Confirm. Hæreticus per hæresim inhabilitatur ad credendum fidei divina, & hæresis non retractata est inhabilitas habitualis ad credendum ; habitus fidei est habilitas habitualis. Sed habilitas habitualis ex natura rei pugnat cum inhabilitate habituali: ergo. Resp. explicando mai. est habitualiter Hæreticus per habitum hæresis, neg. mai. per non retractasse hæresim, conc. mai. & explico min. Esse habitualiter fidelem pugnat ex natura rei cum esse habitualiter infidelem, per habitum infidelitatis, permitto min. per non retractasse hæresim, neg. min. & conf. Permisit min. quæ falsa est : quia facilitas ad hæresim non pugnat ex natura rei cum habitu fidei propter nostras rationes. Ad confirm. Conc. mai sumpta pro inhabilitate habituali non retractata, neg. min. Quia ex eo quod aliquis faciat aliquam actionem, & eam non retractet, et si velis sit facilis ad tam actionem, non sequitur, quod non habet potestatem proximam, & expeditam ad carentiam actionis.

6. Ex his sequitur 1. Cum hæresi posse coniungi ea omnia, quæ requiruntur ex parte potestatis proximæ in voluntate ad credendum. Ratio est: quia potestas proxima ex parte voluntatis ad credendum, est potestas proxima ad imperandum assensum constituta per cognitionem allicientem, & retrahentem, & per iudicium de honestate credendi ad præsentiam argumentorum credibilitatis. Sed hæc potestas potest coniungi cum hæresi: ergo. Prob. min. Hæc potestas est indifferens ad imperandum assensum, & ad imperandum dissensum: ergo. Sequitur 2. Habitum fidei posse coniungi cum potestate ad imperandum assensum fidei. Prob. Quod ex se non est connexum cum carentia imperij assensus fidei, potest coniungi cum potestate libera ad imperandum assensum fidei. Sed habitus fidei ex se non est connexus cum carentia imperij assensus fidei: ergo. Sequitur 3. Quod potestas proxima ad credendum, & discredendum potest constitui redundantè per habitum fidei. Prob. Eatenus non posset constitui redundantè per habitum fidei, quatenus habitus fidei non posset impediri per carentiam fidei, seu

per hæresim. Sed habitus fidei redundanter constituens potestatem ad actum fidei potest impediri per caretiam actus fidei, seu per hæresim, ut constat ex doctrinis de principio redundante: ergo. Sequitur 4. Quod si lex puniendi peccatum hæresis cum privatione habitus fidei dependeat à scientia media operationis creaturæ habitus fidei, potest unicè constituere potestatem proximam ad credendum, & discredendum. Prob. Eatenus non posset constituere talem potestatem, quatenus lex, & habitus non possent coniungi cum hæresi. Sed hoc non obstat: ergo. Prob. min. Quia per potestatem constitutam per habitum posset impedire legem puniendi privatione habitus in eodem instante hæresis.

SECTIO II.

*An Angeli viatores, & Primi Parentes
in statu innocentie habuerint habitum,
& actum fidei? Et quid de ani-
mabus Purgatorij?*

7 **D**Urand. in 3. dist. 23^o
quæst. 8. Gabriel q. 2.^o
Bonav. art. 2. quæst. 3. Alens. 3. part.
Eo 2 quæst.

quæst. 64. Scotus in 4. dist. 10. q. 83
 Ludov. Vives in lib. 9. de Civit. Dei,
 cap. 9. dicunt in Angelis viatoribus
 non fuisse actum strictæ fidei. Reliqui
 Theologi cum D. Thom. hic quæst. 5.
 art. 1. & quæst. 18. de Verit. art. 2.
 Suarez lib. 5. de Angelis, cap. 5. Co-
 ninc disp. 17. n. 16. Valenc. quæst. 5.
 art. 1. Granad. controv. 1. tract. 16.
 Hurtad. disp. 17. Oviedo controv. 6.
 punct. 6. Ripald. disp. 18. sect. 2. Ma-
 nies. disp. 10. sect. 6. Palanco disp. 5.
 quæst. 15. dicunt, Angelos viatores
 habuisse actum strictæ fidei: quod adeò
 certum putat Bañez hic quæst. 5. ar-
 tic. 1. & Coninc, ut oppositum dicant
temerarium.

8 Dico 1. cum Ripalda disp. 18.
 sect. 2. Non est omnino certum Ange-
 los viatores habuisse habitū fidei. Prob.
 Probabile est, Angelos vnicō instanti
 fuisse viatores, in quo crediderunt di-
 vina mysteria, qua fide se disposuerunt
 ad gratiam. Sed hoc ipso non est omni-
 no certum, Angelos viatores habuisse
 habitum fidei: ergo. Prob. min. Actus
 fidei, quibus se disposuerunt ad gra-
 tiam, aut *absolutè* non sunt eliciti ab
 habitu fidei, aut *saltem* valde probabile
 est,

est, non esse elicitos ab habitu fidei: quia frequentè habitus fidei, sicut & reliqui, non infunditur ante gratiam; sed tanquam proprietas consequitur gratiam. Sed si non sunt eliciti ab habitu fidei, non est omnino certum, habuisse habitum fidei: quia ex hoc solo capite probari posset certitudo: ergo.

2. Actus fidei, quem habuerunt Angeli, fuit valdè transiens, cum solum duixerit per unum, aut duo instantia iuxta plures Theologos: ergo non datus est habitus fidei ad eiusmodi actum. Prob. cons. Theologi, qui admittunt, Paulum, & alios Sanctos habuisse in via visionem intuitivam Dei, communiter dicunt, non datum esse eis lumen gloriae, & nullus Theologorum, quem sciam, dicit datum esse eis lumen permanens ad visionem intuitivam Dei, quam admittunt. Sed non alia ratione, nisi quia illa visio fuit brevis: & ad visionem brevem magis congruum erat dare lumen transiens, quam lumen natura sua permanens: ergo ad fidem ita breviter transeuntem magis congruum erat dare principium transiens, quam dare habitum natura sua permanentem. Si ergo semel afferatur, non esse datum

habitum fidei ad actus, quibus certo se disposuerunt ad gratiam; quo fundamento afferetur ut certum, eos habuisse habitum fidei? Ideoque sententiam dicentem, Angelos non habuisse fidem habitualem, neque actualem, liberant censura Turrian. Hartado, Lugo apud Ripaid. supr.

9 Dico 2. Angelos viatores habuisse habitum fidei. Prob. Id, quod est per se, non immutatur per id, quod est per accidens. Sed habitus fidei *naturaliter* manet ex gratia in subiecto capaci ad actus fidei: & per accidens est, quod status viatorum duret in Angelis per tam breve tempus: ergo *naturaliter* manavit in Angelis ex gratia habitus fidei. Confirm. Quamvis Deus cegnoscat in parvulis futuros esse otiosos habitus infusos, eo quod decreverit eos decedere antequam perveniant ad adultos, de facto infundit in baptismo eiusmodi habitus ad exigentiam gratiae: quia per accidens est, quod tales habitus futuri sint otiosi: ergo similiter.

10 Dico 3. Angeli viatores habuerunt actum fidei, quo se disposuerunt ad gratiam. Prob. 1. ex D. Thom. quest. 5. artic. 1. in natura rationali fides

fides est dispositio ad gratiam. Sed Angeli in primo instanti habuerunt gratiam: ergo habuerunt fidem tanquam dispositionem. 2. Quidquid sit, an illud ad Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo, &c.* intelligatur universaliter, vel solum de hominibus, congruum est, quod Angeli se disposituerint ad iustificationem per eam dispositionem, quæ conformior est naturæ rationali *vi tali*, & qua Primi Parentes, modo non dedebeat eorum naturam, nec statum. Sed Primi Parentes se disposuerunt per actus voluntatis, & per actus intellectus; per actus amoris, & per actus fidei; ut certum est, & posteâ dicemus: & hæc dispositio conformior est naturæ rationali *vi tali*, diceoti intellectum, & voluntatem: & actus fidei neque dedrebet naturam, nec statum Angelorum viatorum: ergo Angeli se disposuerunt ad gratiam per actum fidei.

11 3 Angeli fuerunt verè viatores ad beatitudinem. Sed status viatorum secum fert fidem, ex cap. 5. *Per fidem ambulamus:* ergo. *Confirm.* Angeli in via habuerunt notitiam Trinitatis, & Incarnationis, quam non poterant

habere scientia naturali , vt pluribus illis
Iustrat Suarez lib. 5. de Angelis,cap. 6.
Sed connaturalius est, eam notitiam ha-
buisse per fidem ex vi revelationis,
quam per scientiam infusam; ergo. Pro-
bat. min. Quia scientia infusa est pro-
prietas scientiae beatae , & propria com-
prehensorum, quae non concedenda est
viatoribus sine gravi fundamento, præ-
cipue circa hæc mysteria.

12 Dices: Angelos vidisse res in
Verbo , vt insinuat August. de Genes.
ad liter. citatus disp. antecedenti: adeò
que & non esse mirum , quod eis data
sit cognitio infusa , & non posse habere
fidem solum meritoriam cum tanta cla-
ritate. *Resp.* Verum esse Aug. insinua-
re Angelos vidisse res in Verbo: an ve-
rò viderint mysteria tam alta in Verbo
non insinuat , & neque id affirmandum
est sine gravi fundamento: ideoque da-
tur locus fidei; & connaturalius est tan-
ta mysteria solum esse cognita per re-
velationem ; imò & reliqua mysteria
propter rationes conclusionis: quia cla-
ritas cognitionis , casu quo ea mysteria
cognovissent in Verbo , aut cum evi-
dentialia in attestante, non impedit fidem:
vt vidimus disp. ant. nec fidem merito-
riam:

riam: quia ea claritas, & evidētia in artestante coniungi potest cum præparatione animi etiam *signata* ad assentiēdum ex vi revelationis divinæ; etiamsi solum proponeretur cum evidētia morali, in qua præparatione consistit meritum fidei.

13 Dices 2. Fides tantum convenit his, qui peregrinantur ad Dominum. Sed Angeli boni nunquam peregrinati sunt ad Dominum: ergo non habuerunt fidem. Mai. est Paul. 1. ad Corinth. 5. *Dum sumus in corpore, peregrinamur ad Dominum. ambulamus enim per fidem, & non per speciem.* Min. est August. lib. 11. de Civit. cap. 11. *Resp. conc. mai. dist. min. Angeli boni non peregrinati sunt ad Dominum, id est, non peccaverunt, nec experti sunt vias laboriosas per suos defectus,* conc. min. id est, *intuitivè Deum viderunt, saltem intuitione perfecta, & beatificante, neg. min. & conf.* Itaque Paul. dicit, viatores peregrinari ad Dominum: quia ambulamus, ut videamus Deum facie ad faciem visione perfectam, & nos beante: & quidquid sit, an Angeli boni in statu viatorum viderint multa in Verbo, quod sentit August.

ut vidimus disp. 12. non tamen vide-
runt omnia mysteria in Verbo, nec vi-
derunt *intusitive* Deum, saltem visione
perfecta: idque peregrinari poterant,
& ambulare, ut viderent Deum facie ad
faciem.

14 Dices 3. SS. PP. communiter
dicunt, Angelos in primo instanti ha-
buisse cognitionem non enigmaticam.
Sed fides est cognitio enigmatica: ergo
non habuerunt fidem. *Resp.* Missa solu-
tione solida, quæ communiter dari so-
let pro communi sententia, dicendo
cognitionem Angeli suisse claram, &
non enigmaticam, non *absolutè*; sed *com-
parativè* ad nostras cognitiones. Missa
inquam hac solutione, respondeo con-
formiter ad dicta disp. 11. & 12. Per-
mis. mai. neg. min. absolutè loquendo:
quia licet fides frequentiter sit *enigmati-
ca*, permittit tamen, ut diximus, esse
metaphysicè claram.

15 Dico 4. Primi Parentes in sta-
tu innocentiae habuerunt fidem actua-
lem, qua se disposuerunt ad gratiam.
Prob. Primi Parentes se disposuerunt
ad gratiam dispositione conformi crea-
turæ rationali ut tali, & exacta ad infu-
sionem gratiæ. Sed dispositio conformis
crea-

creature rationali ut tali, ut potè intellectivæ, & volitivæ, sunt actus intellectus, & voluntatis: & dispositio exacta ad infusionem gratiæ in hominibus est fides, ex Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo:* ergo Primi Parentes in statu innocentiae habuerunt fidem actualem, qua se disposuerunt ad gratiam,

16 Dico 5. Primi Parentes habuerunt in statu innocentiae fidem habitualem. Prob. ex Ambros. lib. 5. epist. 33. de Adamo: *Agnoscis te esse nudum: quia bona indumenta fidei perdidisti.* Ex Protpero ad excepta Genuenium, ad 3. dub. *Quid est autem, quod eidem naturæ, scilicet Primorum Parentum, solam fidem non vult esse præceditam, quam nisi amississet, cateris omnibus bonis non careret.* Credendo enim Adam diabolo, non creditit Deo. Et contra Collatorem, cap. 19. *Perdidit primitus fidem, perdidit charitatem, spoliatus est sapientia, & intellectu.* Et cap. 21. *Perdidit homo boni scientiam: quia perdidit bonam conscientiam.* Iniquitatem enim iniquitas depulit, humilitatem superbìa destruxit, infidelitas rupit fidem. Vide plura testimonia apud Suarez de Oper. sex dierum, lib. 4.

cap. 2. & 4. Lugo probat hanc conclusiōnem ex Bul. contra Baium, ybi damnatur hæc propositio : *Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio quodam supernaturali, & gratuito dono supra ordinem natura sua fuisse exaltatum, ut fide, ipe, & charitate Deum supernaturaliter coleret.* Ex qua bene probatur probabilitè nostra sententia; sed non est de fide, neque definitum, Adamum in eo statu habuisse fidem.

17 Dubium est : An Adamus in statu innocentiae explicite cognoverit mysterium Incarnationis ? *Communis sent.* cum D. Thom. 3. part. quæst. 2. art. 7. & quæst. 1. art. 3. tenet, Adamum explicite cognovisse mysterium Incarnationis. Ita Suarez 3. part. q. 1. art. 3. Vazquez 3. part. disp. 12. Turrianus hic disp. 27. dub. 1. Egidius disp. 17. dub. 1. & ex PP. Tertul. lib. de Anima, cap. 11. Hieron. in 5. ad Ephes. Aug. lib. 9. de Genes. ad liter. Epiphan. hæref. 48. Prosper. lib. 1. de Promissionibus Dei, cap. 1. Leo Magnus epist. 23. Bernard. serm. 6. in Vigilia Nativitatis. Nobis pro ratione servire potest communis PP. & Doctorum sententia : præfertim cum valde congruum

gruuum sit, Adamum in illo felicissimo statu non ignorare, à quo tanta in se, & in posteris beneficia, & acceperat, & erat accepturus. De Eva idem sentiunt DD. ac de Adamo. Et consequenter habuerunt fidem explicitam de Christo in statu innocentiae.

18 Dubium est 2. An Adamus habuerit fidem explicitam de Christo in primo instanti creationis; vel an eam habuerit in somno, in quo ex illius costa formata est Eva? Vezquez, & Turrian. supr. dicunt, Adamum primo habuisse fidem de Christo in somno: quia iustificatio facta in primo instanti fuit independenter à Christo venturo: si quidem Adamo non peccante, maneret iustificatus, & Christus non veniret. Suarez, & plures alij dicunt, Adamum habuisse fidem Christi à primo instanti creationis: quia fides Christi semper, & in quocumque statu fuit necessaria ad iustificationem. Rationes pro nostra parte vrgent. Verius tamen existimo, Adamum à primo instanti habuisse fidem Christi: quia ut insinuavi tract. de Merito, & dicemus, Deo auspice, tract. de Incarn. prima gratia Adami fuit ex meritis Christi; idcōque con-

gruuum

gruum erat, quod Adamus per fidem Christi se disponeret ad talem gratiam.

19 Dico 5. In animabus Purgatorij manere habitum, & actum fidei. Ita Suarez disp. 6. sect. 9. Mæratius disput. 24. sect. 3. Coninc disput. 17. dub. 4. Lugo disp. 17. Ripald. disp. 19. sect. 4. Oviedo controv. 6. punct. 6. Palanco disp. 5. quæst. 15. contra Petrum Hurt. disp. 59. sect. 3. Quia dicit, animas in statu separationis posse habere scientiam insulam. Prob. conclusio. Animæ in statu Purgatorij nihil habent, quod sit contrarium fidei: ergo habent fidem, & habitualem: quia hæc oritur à gratia, quando nihil est contrarium: & actualem, quia ipsis est sufficienter nota revelatio, & mysteriorum, & propriæ salutis, & noscunt se placere Deo in tali fide. Prob. antec. Felicitas illius status non est tanta, ut ferri non possit cognitione obscura, casu quo tales sint cognitiones fidei ad dirigendos actus spei, & charitatis, quos eliciunt: nec miseria est tanta, ut preventur gratia, nec alijs virtutibus, quarum actus regulari possunt per fidem: ergo animæ Purgatorij nihil habent, quod sit contrarium fidei. 2. Animabus

Purgatoriū proponitus revelato myte-
riorum , quæ crediderunt , aut obscure ,
si velis , aut saltem sine evidētia phy-
sica , nec metaphysica . Sed hoc ipso pos-
sunt habere fidem : ergo . 3 . Animæ
Purgatoriū habent spem , ut dicemus dil-
put . 1 . de Spe . Sed spes nitiuit fide , ex
Paul . *Fides est sperandarum substantia
rerum* : ergo . Advertit bene Galp . Hurt-
tad . disp . 7 . diffic . 3 . in hac materia
idem dicendum de Patribus detentis in
Limbo propter easdem rationes .

20 Ratio in contrarium adducta à
Petro Hurt . non virget : quia non est
ita certum , animas Purgatoriū cog-
noscere scientia infusa : cum hæc
scientia sit propria status beatifici , &
non est tribuenda alijs statibus sine
gravi fundamento . Deinde casu quo
ibi cognoscant scientia infusa , hoc non
tollit , quod *actualiter* credant : quia
fides non pugnat cum cognitione clara ;
ut diximus disp . 11 . & 12 . imo & est
positivè clara medio fidei ; claritate evi-
denti *moraliter* , & permittit esse *meta-
physicè* claram ; ut diximus disp . 12 .
Præterquam in animabus Purgatoriū
revelatio pr. ponitur etiam *obscure* , ut
diximus in ratione conclusionis .

SE.

SECTIO IIJ.

Vtrum in Beatis detur fides?

21 **M**ai. difficultas est, an in Beatis detur fides?

Communis sentent. dicit, in Beatis neque dari fidem habitualem, neque actualem, neque esse possibilem ex natura rei. Ita communiter Interpretes D. Thom. 1. 2. quæst. 67. & 2. 2. quæst. 5. Suarez disp. 6. sect. 9. Cossio disp. 11. dub. 1. Granad. tract. 13. sect. 1. Lorca disp. 15. Turrian. disput. 43. dub. 4. Hurt. disp. 59. sect. 4. Mærat. disp. 24. sect. 2. Oviedo controv. 6. punct. 6. Munies. disput. 10. sect. 6. Qui omnes eodem modo loquuntur de habitu, ac de actu fidei; imò ideo negant in Beatis habitum fidei: quia dicunt Beatos in illo felici statu non habere actus fidei. *Oppositorum* tenent Alensis 3. part. quæst. 64. Durand. in 3. dist. 32. quæst. 3. & 4. Argentina ibidem art. 3. Quibus favere videtur Magister in 3. dist. 25. Irenæus lib. 2. contra Hæreticos, cap. 47. Tertullian. de Patientia, cap. 12. Ripald. disp.

disp. 19. sect. 4. per varias conclusiones resolvit quæstionem. Primo dicit, in Beatis non dari fidem actualem. 2. dicit, fidem actualem non pugnare ex natura rei cum statu beatifico. 3. dicit, in Beatis manere habitum fidei quoad physicam entitatem habitus; non vero quoad constitutionem, &c denominationem fidei.

22. Dieo 1. In Beatis non datur habitus fidei, nec quoad entitatem, nec quoad conditionem fidei. Prob. ex Aug. lib. 1. de Doctrina Christ. cap. 39. dicente: *In patria non manere fidem, neque spem.* Chrysost. in homil. 34. in 1. ad Corinth. 13. *Nunc manent fides, spes, & charitas:* sic ait: *Cessat fides, & spes, quando venerint credita, & sperata.* Bela in eundem locum idem afferit. Anselmus in eundem: *Fides cessabit, & spes finem habebit; sola vero charitas in aeternum perseverabit.* Theodoret. in eundem: *In patria solum manere charitatem ex tribus virtutibus Theologieis, quas Paulus ibi commemorat.* Sed Paulus ibi loquitur de habitu fidei, ut colligitur ex verbo *manent*, quæ loquutio solum convenit propriè habitibus: ergo in Beatis non manet habitus fidei. *Confirm.*

Ex 1. ad Corinth. 13. Cum venerie, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est. Sed hæc evacuatio communiter intelligitur de fide: ergo. 2. Habitus fidei datur in via loco luminis gloriæ, & ut substituat pro lumine gloriæ. Sed quando adest principalis, non datur substitutum: ergo in Beatis non datur habitus fidei.

23 Dico 2. Habitus fidei non pugnat metaphysicè, neque ex natura rei cum beatitudine. Prob. Non repugnat, quod homini iusto detur beatitudo in præmium meriti pro posteriori in eodem instante meriti. Sed tunc potest coniungi beatitudo cum habitu fidei: ergo. Prob. min. Juxta communem sentent. omne meritum procedit ex fide, ex illo Paul. ad Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Et 1. ad Cor. 5. *Per fidem ambulamus.* 2. Eatenus pugnaret metaphysicè, aut ex natura rei, cum beatitudine: quia Beatis repugnat actus fidei circa obiectum primarium fidei. Sed Beatis non repugnat actus fidei circa obiectum primarium fidei, ut infrà dicemus: ergo. 3. Beatis repugnat actus primarius pœnitentiæ, qui est dolor cum tristitia pro pec-

cato: repugnat propositum emendat, & propositum satisfaciendi: quæ involvuntur in dolore pro peccato: dixi hunc esse actum primarium pœnitentia: quia amor Dei cum gaudio potius est actus charitatis, quam pœnitentia, & in Beatis datur habitus pœnitentia iuxta communem sententiam. Similiter Beatis repugnat actus primarius patientia, & in Beatis datur habitus patientia iuxta communem sententiam. Similiter iuxta communem sententiam, in Beatis repugnat actus primarius potentia nutritivæ, & in Beatis datur potentia nutritiva: ergo casu quo repugnaret actus fidei circa obiectum primarium fidei in Beatis beatitudo non pugnaret metaphysicè, neque ex natura rei cum habitu fidei. Prob. cons. Ideò primum est verum: quia virtus pœnitentia, & virtus patientia sunt proprietates gratiæ, & potentia nutritiva est quasi proprietas animæ, quæ proprietates connaturaliter dari possunt, data natura, cuius sunt proprietates; quamvis ipsæ futuræ sint otiosæ. Sed habitus fidei est proprietas gratiæ, quæ datur in beatitudine: ergo potest dari ex natura rei; quamvis futurus esset otiosus.

In beatitudine. Tandem non repugnat
ex natura rei; imò iuxta communem
 sent. de facto datur in Beatis habitus
 piaæ affectionis, qua in via imperatur
 actus fidei, sive imperandus, sive im-
 perandus non sit in patria: ergo non
 repugnaret *ex natura rei* habitus fidei,
 etiam si non eliciendus sit in patria
 actus fidei.

24 Dico 3. Non repugnat meta-
 physicè, neque physicè actus fidei in Bea-
 tis. Prob. Eatenus repugnaret, quate-
 nus Beati *clarè*, & *intuitivè* vident
 Deum, & mysteria credenda. Sed hoc
 non probat in Beatis repugnare fidem:
 ergò: Prob. min. Quia fides potest esse
 assensus clarus circa authoritatem Dei:
 fides potest stare cum evidentia in atte-
 stante, ut diximus disp. 12. & quia, ut
 diximus disp. 11. non est de ratione fi-
 dei esse *positivè obscuram*; imò est de
 ratione fidei esse *positivè claram* per
 medium fidei; ut ibi diximus: & per-
 mittit esse physicè, & metaphysicè cla-
 ram. 2. Actus fidei est assensus prop-
 ter divinam authoritatem revelantem.
 Sed in Beatis non repugnat assensus
 propter divinam authoritatem revelan-
 tem; ergò. Prob. min. Qui cognoscis

connexionem antecedentis cum consequente , potest assentiri consequenti propter antecedens. Sed Beati cognoscunt authoritatem divinam , & revelationem, & connexionem , quam dicunt eum mysterio revelato: ergo possunt assentiri mysterio revelato propter autoritatem , & revelationem. 3. Deus revelavit Gabrieli mysterium Incarnationis saltem quoad determinatum tempus , quoad determinatam Matrem , & quoad alias circumstantias : ergo non repugnat , Gabrielem credere Deo revelanti mysterium Incarnationis , saltem quoad determinatum tempus , quoad determinatam Matrem , & quoad alias circumstantias.

25 4. Eatenuis repugnaret actum fidei in Beatis , quia de ratione actus fidei esset obscuritas. Sed admisso , quod de ratione actus fidei esset obscuritas, non repugnaret actus fidei in Beatis: ergo. Prob. min. Licet Beati circa obiectum primarium habeant cognitionem claram , possunt habere simul cognitionem obscuram : sicut quamvis habeant circa obiectum primarium fidei visionem intuitivam , qua videant Deum in se ipso , possunt habere simul visionem

abstractivam, qua eum cognoscant in creaturis: ergo licet Beati habeant cognitionem claram circa obiectum primarium fidei, possunt habere simul cognitionem obscuram. 5 Beati possunt habere plures actus fidei circa obiecta secundaria fidei, admisso, quod fides debet esse obscura: ergo in Beatis potest dari fides. Prob. art. Nam Beati non vident omnia *clare* in Verbo: quia plura decreta, aut sunt eis pœnitus abscondita, aut non ea cognoscunt, ita ut plenè discerneret possint: ergo casu quo fides sit obscura, posset dari in Beatis actus fidei circa obiecta secundaria fidei. Confirm. Melius est cognoscere, licet obscurè aliquod obiectum bonum, quam illud pœnitus ignorare. Sed Beati, etiam in illo perfecto statu, aut ignorant, aut possunt ignorare plura obiecta: ergo recte componitur cum illo felice statu, quod obscurè cognoscant alia obiecta. Prob. min. Beati usque ad tempus determinatum ignoraverunt mysterium Incarnationis. Beati ignorant, aut ignorare possunt plures providentias iam absolutas, iam conditionatas; præferentim earum rerum, quæ non pertinent ad eorum statum: ergo Beati possunt igno-

ignorare plura obiecta. Prob. ant. quod videtur certum: quia ut diximus tractatu de Vision e, Beati cognoscunt ea, quæ pertinent ad statum, quem habuerunt in via: quia hoc videtur pertinere ad eorum gloriam accidentalem; at vero de his, quæ non pertinent ad statum, quæ habuerunt in via, non est cur omnia noscant saltem *clarè*; alias æquœ iure dicere licebit, quod esset æqualis in omnibus Beatis visio, non solum *extensivè*; sed etiam *intensivè*.

26 Dices cum Suarez. Obscuritas fidei dedecet statum beatificum: ergo fides non potest dari in Beatis. *Resp. 1.* Perm. ant. neg. cons. quia Beati possunt assentire propter divinam autoritatem revelantem *clarè* cognitam, qui assensus est actus fidei; cum habeat motivum fidei, & actus specificentur à motivo. *Resp. 2.* neg. ant. quia non dedecet felicitatem status Beatorum id, quod melius est Beatis, quam eius carentia. Sed non dedecet statum Beatorum plura pœnitus ignorare, & melius est Beatis ea licet *obscurè* cognoscere, quam ea pœnitus ignorare: ergo non dedecet statum Beatorum *obscurè* cognoscere.

27 Dices cum Lugo. Obscuritas

fidei importat potestatem formidandi de errore, aut de recta, vel mala electione illius, quod credit. Sed Beatis repugnat formidare de errore, aut de recta, vel mala electione illius, quod credit: ergo Beatis repugnat obscuritas fidei. *Hec obiectio saltim permittit, quod si fides sit evidens, ut esse posse diximus, possit dari in Beatis: quia cum hac fide non stat potestas formidandi.* Similiter permittit, quod licet fides sit obscura ex medio fidei, si coniungatur cum notitia aliunde evidenti, possit dari eiusmodi fides in Beatis: quia tunc non datur potestas formidandi. *Deinde resp. dist. mai. Obscuritas fidei importat potestatem formidandi in viatoribus, conc. mai. in Beatis, neg. mai. & min. quam non iudicat absurdam Ripalda.* Itaque in Beatis non datur potestas formidandi, quando proponitur licet obscurum mysterium credendum: quia proposito mysterio credendo cum morali certitudine, ut proponi debet ad credendum fide divina, solum datur potestas formidandi imprudenter. Sed in Beatis non datur potestas formidandi imprudenter: quia formidare imprudenter est peccare peccato imprudentiae, & in Beatis non datur

datur potestas peccandi : ergo obscuritas fidei non coniungeretur in Beatis cum potestate formidandi. Ad modum quo cognitio obiecti mali *moraliter* constituit in viatoribus potestatem peccandi, & cognitio obiecti mali *moraliter* non constituit in Beatis potestatem peccandi : quia Beatis repugnat potestas peccandi. Similiter ergo accidit in obscuritate fidei , quæ in viatoribus coniungitur cum potestate formidandi *imprudenter* ; & in Beatis non potest coniungi cum potestate formidandi *imprudenter* : quia non possunt habere potestatem peccandi.

28 Insistes : Ex nostris rationibus sequitur , quod Beati possunt *prudenter* formidare de aliquibus obiectis. Sed hoc videtur indecorum statui beatifico ; ergò. Prob. mai. Iuxta nostras rationes Beati possunt cognoscere purè *probabiliter* multa decreta , & providentias tam absolutas , quam cōditionatas , p̄zseriū circa eas res , quæ non pertinent ad se , nec ad proprium statum ; sed solum ad statum aliorum. Sed tunc possent *prudenter* formidare : ergò. Prob. mai. Iuxta nostras rationes melius est *probabiliter* cognoscere , quam p̄enitus igno .

ignorare. Sed Beati possunt pœnitius plura decreta ignorare: ergo possunt probabilitè illa cognoscere. In hoc mallem audire, quam respondere; dicam, quod sentio meliori iudicio sententiam relinquendo. *Resp.* conc. mai. quam non existimo absurdam: quia etsi formido apprehendatur, ut imperfectio physica, & similitè apprehendatur, ut imperfectio physica, solum probabilitè iudicare; maior apprehenditur imperfectio physica omnimoda ignorantia circa ex obiecta, quam formido, & cognitionis probabilis: sicut ergo ignorantia multarum rerum non est aliena ab statu beatifico: quia non affert tristitiam, nec mœrorem, cum Beati solum velint scire ea, quæ Deus velit ostendere. Similiter formido, & cognitionis probabilis circa aliqua obiecta, quæ nec pertinent ad se, nec ad proprium statum; sed ad statum aliorum, non est aliena ab statu beatifico: quia non affert tristitiam, nec mœrorem: cum Beati solum velint scire obiecta præcipue non pertinentia ad proprium statum, eo modo, quo Deus vult ea sciendi à Beatis.

29 Dico 4. Frequentè non datur actus fidei in Beatis. Hæc conclusio,
quæ

quæ est communis Theologorum , sua-
derur ex 1. ad Corinth. 13. Ex parte
cognoscimus , & ex parte prophetamus ;
cum autem venerit , quod perfectum est ,
evanescatur , quod ex parte est . Quæ ver-
ba communiter intelliguntur de eva-
cuatione fidei , & præcipue de eva-
cuatione fidei actualis . Et infrà : Nunc au-
tem per speculum in anigmate , tunc au-
tem facie ad faciem . Item , nunc autem
manent fides , spes , & charitas . In quæ
Hieronym. Charitas nunquam excidit ,
id est , ipsa permanet in futurum . Chrysostom.
Cessant fides , & spes , quando aave-
nerint bona , quæ fuerint credita , & spe-
rata ; charitas autem tunc maxime ex-
tolitur , & sit vehementior . Eadem ha-
bet Anselmus , Beda , Theodoretus , &
communiter Interpretes in hæc verba ,
& Aug. serm. 53. de Temp. Sed hæc ,
& communis consensus saltem probant ,
quod in Beatis frequentè non datur
fides actualis : ergo .

30 Dieo 5. Si verosimilia sint ea
quæ diximus disp. 11. sect. 1. & dis-
put. 12. sect. 3. in Beatis aliquando
datur actus fidei . Prob. Eatenus non
daretur in Beatis actus fidei : quia Bea-
tis

tis sunt *clare* nota mysteria credenda;
 & ea cognoscunt in Verbo, & cum evi-
 dentia in attestante: & non possunt hæc
 mysteria simul proponi *obscure*. Sed
 hæc ratio non probat in Beatis non da-
 ri fidem actualem: ergo. Prob. min. Iux-
 ta dicta disp. 11. lect. 1. non est de ra-
 tione fidei, quod sit *positivè* obscura;
 immo est de ratione fidei, quod sit *positi-
 vè* clara per medium fidei, claritate
 evidentiæ moralis, & permittit esse cla-
 ram, claritate evidentiæ physicæ, & me-
 taphysicæ. Et iuxta dicta disp. 12. lect. 3.
 cum evidenter in attestante potest stare
 fides, sine alia propositione obscura:
 ergo hæc ratio non probat, quod in
 Beatis non detur fides actualis. 2. Sua-
 sibile est, quod Beati assentiantur prop-
 ter authoritatem divinam revelantem
 cognitam, etiamsi *clare* cognitam, præ-
 cipue circa ea obiecta, quæ non perti-
 nent ad proprium statum, & quæ igno-
 rari possunt à Beatis. Sed huiusmodi
 actus esset actus fidei: quia specificare-
 tur à motivo fidei: ergo. Probat. mai.
 Quia huiusmodi motivum, & est in se
 dignum, & dignum assensu propter il-
 lud: cum Beati cognoscant connexio-
 nem,

hem ; quam habet cum obiecto revelatio. Hæc proposui conformiter ad dicta locis citatis , & eadem venia , qua ibi proposui.

§. I.

31 Dubitari posset : An in Christo Viatore data sit fides habitualis , & actualis? Dico 1. Habitus fidei non repugnat in Christo Viatore , nec *metaphysice* , nec *ex natura rei*. Rationes sunt eiusdem rationis cum his , quibus probavimus , in Beatis non repugnare habitum fidei , nec *metaphysice* , nec *ex natura rei* , quas non repetimus , quia in proximo sunt. Maior difficultas est , an de facto datus sit habitus fidei in Christo Viatore?

32 Communis sensus negat , & potius supponit , quam probat , in Christo fidem tam habitualem , quam actualiem. Sed cum veneratione debita , non bene percipio , quid impedit dari in Christo habitum fidei , seu gratiam producere suas proprietates , & consequenter habitum fidei. Imò credibile videtur , quod gratia capitis similis sit gratiæ membrorum , non solum gratia secundum se ; sed etiam gratia cum suis proprietabus , si nec ex Scriptura , nec

ex Concilijs, nec ex PP. aliquid occur-
rat in contrarium. Quod enim habitus
fidei futurus sit otiosus in Christo, non
probat illo carere: quia, ut vidimus,
aliqui habitus dantur in Patria, qui
sunt otiosi saltem circa præcipuos
actus, v. gr. habitus pœnitentiæ, ha-
bitus patientiæ, & iuxta plures ex Ad-
versarijs, habitus piæ affectionis: si er-
go in Christo semel detur habitus piæ
affectionis, qua imperatur actus fidei,
sicut datur in Beatis, quid mirum quod
detur habitus fidei: quia vel habitus
piæ affectionis, qua imperatur actus
fidei futurus est otiosus, vel non?
Si non futurus est otiosus: imperabit
actus fidei, & sic congruenter dabitur
habitus fidei: quia non erit otiosus; si
futurus est otiosus? Sicut hic habitus
datus est in Christo Viatore, quamvis
futurus sit otiosus: quia est proprietas
gratiæ; & nihil est, quod impedit
hunc habitum: similitè propter ean-
dem rationem dabitur habitus fidei,
quamvis futurus sit otiosus. Præter-
quam habitus fidei non esset omnino
otiosus in Christo, ut modo dicemus.

33 Dico 3. Actus fidei non re-
pugnat in Christo Viatore nec meta-
phy-

physice, nec *ex natura rei*. Rationes sunt illæ, quibus probavimus, in Beatis non repugnare actum fidei nec *metaphysice*, nec *ex natura rei*, quæ revindendæ sunt, ne repetamus. Dico 4. Fidem actualem non datam esse in Christo frequentè, propter rationes, quibus diximus, fidem actualem non dari frequentè in Beatis. Dico 5. Fidem actualem aliquando datam esse in Christo. Prob. Eatenuis non data esset in Christo fides, quia Christus plura, vel omnia cognoscebat cognitione clara, & infusa. Sed hoc non obstat, ut in Christo data sit fides: ergo. Prob. min. Quia ut diximus disp. 111 sect. 1. Fides non petit esse *positivè* obscuram ex medio fidei; imò petit esse *positivè* claram per medium fidei claritate evidentiæ moralis, & permittit esse *physicè*, & *metaphysicè* claram per medium fidei. Et ut diximus disput. 12. sect. 3. Fides potest dari cum omnimoda evidentia in attestante. Si ergo hæc ita sint, quo iure negabimus in Christo nostro capite, & exemplari summo actus fidei. 3. Quia si dentur tales, actus erit exemplar fidei, sicut est exemplar patientiæ, obediens,

dientiæ , & aliarum virtutum: & alias erit magis conformare caput cum membris.

34 2. Christus Viator plura, vel omnia cognovit scientia supernaturalis. Sed nihilominus communis sententia concedit in Christo scientiam naturalem , & experimentalem minus perfectam multarum veritatum, ex illo, Crescebat Iesus sapientia , & aetate apud Deum, & homines , vt dicitur tract. de Incarnatione. ergo licet Christus plura, vel omnia cognoverit scientia infusa , & clara , non est cur negetur actus fidei non dicens positivam obscuritatem , si- vè sit tam perfectus , sive non , quam scientia infusa. Aliæ rationes videri possunt supra , ubi probavimus , fidem actualem aliquando dari in Beatis, quæ similiter probant de Christo. Contra hanc conclusionem nihil est speciale, nisi solum ea , quæ supra dedimus contra fidem Beatorum , scilicet, quod clare cognoscat, & quod pluris, & maximi est, communis sensus ; sed cum intenderimus , venia communis sensus, non esse de ratione fidei esse positivam obscuram ; imò esse positivam claram ex medio fidei ; & posse stare cum omnimoda

moda evidētia in attestante, eadem vēnia concedimus in Christo viatore aliq quando datam esse fidem actualēm quā

SECTIO IV.

*An in damnatis, & dæmonibus
detur fides?*

35. **S**up. Damnatos, & dæmones plura obiecta nostræ fidei cognoscere, v. gr. igne torquenti propter sua delicta, catoe visione beata, qua privantur propter peccata futura, esse diem iudicij, & post quod puniendi sunt cum suis corporibus, & in æternum esse puniendos. Dubium est, ex quo motivo id cognoscant, an ex motivo fidei? An ex alio motivo? An fide supernaturali? An naturali?

36. Non desunt, qui dicant in dæmonibus, & damnatis dari fidem habitualēm, & actualēm infusam. Ita Durandus in 3. dist. 23. quæst. 9. Alensis 3. part. quæst. 64. Magister dist. 23. §. 4. & probabile iudicat Salmeron disp. 3. in Epist. Iacobi ad locum infra citandum, Valenc. hic disp. 1. quæst. 5. punct. 1. & novius Ferre hic quæst. 8.

¶. 3. dicens illam fidem non esse verē Theologicam; sed esse fidem infusam supernaturalem, inclinareque in verum, non in bonum; id est, inclinare ad res credendas sub ratione *veri*; non vero sub ratione *boni*. *Communis Theologorum* sent. dicit, in damnatis, & dœmonibus non dari fidem supernaturalem habitualem, neque actualem. Ita Div. Thom. hic quæst. 5. art. 2. & communiter Thomistæ, quos sequitur Palanco disp. 5. quæst. 15. & nostri cum Suarez lib. 8. de Angelis, cap. 6. & hic disp. 7. sect. 5. Lorca disp. 30. Granad. Turrianus, Mæratius, Hurtado, Coninc, Lugo, Oviedo controv. 6. punct. 6. Ripalda disp. 19. sect. 3. Munies. disput. 10. sect. 6. Quorum aliqui cum Bañez iudicant, sententiam oppositam periculofam, & errori proximam. Alij, vt Suarez, temerariam. Alij, vt Turrianus, & Lugo, improbabilem. Alij vero, vt Granad. tract. 13. sect. 1. num. 3. Hurtado disp. 59. sect. 2. à censura liberantur.

37 Sed quidquid sit de censura, omnino falsum est, in damnatis, & dœmonibus dari fidem infusam supernaturalem, tam habitualem, quam actualem.

Dico

Dice 1. In damnatis, & dæmonibus non datur fides supernaturalis actualis, quæ consequenter procedat ex pia affectione. Prob. Ex Div. Thom. 1. parr. quæst. 64. art. 2. ad 5. *Actus dæmonis ex voluntate liberata procedens semper est malus.* Sed actus credendi procedens ex pia affectione esset bonus: ergo in damnatis, & dæmonibus non datur actus credendi procedens ex pia affectione. Et 2. 2. quæst. 5. art. 2. ad 2. *Fides, quæ est in dæmonibus, non est donum gratiæ; sed magis coguntur ad credendum ex perspicacitate naturalis intellectus.* Sed si esset fides supernaturalis, & procederet ex pia affectione, esset donum gratiæ: ergo. Deinde August. lib. 9. de Civit. Dei, cap. 2. dicit, dæmones agnoscere Christum non lumine fidei; sed evidentia signorum. 2. Fides actualis supernaturalis esset honesta, laudabilis, & bona. Sed in damnatis, & dæmonibus, ut potè obstinatis in malum, non datur actus honestus, laudabilis, nec bonus: ergo. Prob. mai. Per fidem actualem supernaturalem liberam captivamus intellectum in obsequium Dei loquentis. Sed hoc est honestum, laudabile, & bonum: ergo.

3. Eatenus daretur in damnatis, & dæmonibus fides supernaturalis actualis: quia ad eorum punitionem pertinet, quod sciant, esse damnatos, & privatos gloria propter sua peccata: quod pena duratura est per totam æternitatem. Sed ut hac notitia puniantur, non est necessarium, quod hæc sciant per fidem supernaturalem: quia sufficit notitia certa naturalis: ergo. Maior est Adversariorum, & reliqua satis constant.

38 Obijc. Ex illo Iacob. cap. 2.

Dæmones credunt, & contremiscunt; ubi Aug. comparat fidem Christianorum male viventium cum fide dæmonum. Sed fides Christianorum male viventium est supernaturalis actualis: ergo. 2. In damnatis, & dæmonibus datur fides actualis informis, id est, fides sine operibus. Sed hæc est fides supernaturalis actualis: ergo Prob. mai. & min. ex D. Thom. sect. 3. in 1. ad Cor. 3. ubi ad illa, *Spiritus Dei habitat in vobis*, sic ait: *Non habitat Christus in nobis per fidem informem; alioquin habiteret etiam in dæmonibus.* Et 2. 2. q. 18. art. 3. ad 2. dicit, in dæmonibus non dari spem; dari tamen fidem informem; quia fides est regum malarum, præteritas

ritarum, præsentium, & futurorum;
spes autem non nisi rerum bonarum ad
se pertenentium. 3. Fides non destrui-
tur nisi per hæresim sibi contraria-
rum non fuit in omnibus peccatum hæ-
resis: ergo. 4. Quia Div. Thom. 2. 2.
quæst. 18. artic. 3. ad 2. assignat dis-
crimen, quod spes non manet in Beatis,
sicut manet fides.

39 Resp. conc. mai. & min. nego
conf. Quia comparatio, non est necesa-
farium, quod teneat in omnibus suffi-
cit, quod in aliquibus teneat: tempore
D. Aug. erant hæretici, qui dicebant
fidem propter testimonium divinum, sub-
hoc expressione, sufficere sine operibus
ad salutem: sicut idem dicebat Simon
Magus, & alij tempore Sancti Iacobi.
Et contra eos arguit Aug. eo loco ci-
tato, ut arguebat S. Jacobus Si hæc
sufficeret, etiam dici possit dæmones
esse salvandos: *Quia dæmones eridunt,*
& contremiscunt; non verò est necessa-
rium, quod teneat in omnibus hæc
comparatio, ut communiter accidit in
comparationibus; sed solum convenit
in eo, quod utraque fides est sine ope-
ribus, quamvis in se diversa est utraque

fides: & ideo neutra sufficit ad salutem:
Præterquam etiam fides illorum iudicantium, sufficere ad salutem fidem sine operibus, etiam esset naturalis: cum per hanc hæresim amiserint habitum fidei: ideoque etiam in hoc tenet comparatio. *Ad 2. conc. mai. neg. min.* Quia fides iuniformis dicitur à D.Thom. fides, quæ est sine operibus, & sine charitate, sive hæc sit fides naturalis, sive supernaturalis: ideoque rectè stat, quod in fidelibus fides sit supernaturalis, & sit iuniformis, si est sine operibus, & charitate: & quod in damnatis, & dæmonibus sit fides naturalis, & sit iuniformis: quia est sine operibus, & sine charitate: quæ fides sine charitate, quæcumque sit, non sufficit, ut Christus habitat in nobis. *Ad 3. neg. mai.* Quia licet in via solum destruatur fides per hæresim; in termino v. gr. in inferno, destruitur fides supernaturalis ratione status: quia ille status non est status auxiliorum gratiæ, neque habitus: cum non sit status favoris specialis: & destruitur ex defectu piæ affectionis, quæ moraliter pugnat cum eo statu: sicut & Adversarij dicunt fidem perdī in Beatis ratione status. *Ad 4. Div. Thom.* loquitur de fide

fide actuali, quæ manet in damnatis; quia fides est bonorum, & malorum; non manet spes adhuc naturalis: quia spes est bonorum.

40 Insistes ex Ferre. Fides, quæ habetur per gratiam, est fides supernaturalis. Sed in damnatis, & dæmonibus datur fides, quæ habetur per gratiam: ergo. Prob. min. ex D. Thom. 1. part. quæst. 64. art. 1. *Dicendum*, quod duplex est cognitio veritatis; alia quæ habetur per naturam: & ista quæ habetur per gratiam est duplex; alia speculatoria alia vero, quæ est affectiva. Harum trium cognitionem, prima in dæmonibus non est ablata; sed diminuta. Secunda, quæ est per gratiam in speculatione consistens, non est totaliter ablata; sed diminuta: quia de divinis secretis tantum revelantur eis, quantum oportet Non sicut sanctis Angelis, quibus plura, & clarius revelantur. 2. D. Thom. 1. part. quæst. 109. art. 4. dicit, Angelos plura revelare dæmonibus, ut ea exequantur ad exercitium bonorum, vel punitionem malorum. Sed his possunt credere fide Theologica: ergo.

41 Argumentum non magis probat illam fidem fore supernaturalem,

quam esse Theologicam, cum motivum
utriusque sit idem: et si est supernatura-
lis, utraque procedet ex pia affectione:
imò utraque, hoc ipso, inclinare debet
in bonum. Sed Ferre non concedit in
dæmonibus fidem Theologicam: qua-
re ergo concedet ex hoc loco fidem su-
pernaturalem. *Resp.* dist. mai. Fides,
quæ habetur per gratiam supernatura-
lem, seu Theologicam, est supernatu-
ralis, conc. mai. fides, quæ habetur per
gratiam Philosophicam, neg. mai. &
dist. min. In dæmonibus datur fides,
quæ habetur per gratiam Philosophi-
cam, conc. min. per gratiam supernatu-
ralem, & Theologicam, neg. min. &
cens Ad prob. D. Thom. loquitur de
fide per gratiam Philosophicam. Quod
inde patet: quia 1. 2. quæst. citata, ar-
tic. 2. ad 2. dicit: *Fides, quæ est in dæ-
monibus, non est donum gratiæ; sed magis*
cognatur ad credendum ex perspicacitate
intellectus. Itaque dæmonibus revelan-
tur aliqua mysteria supernaturalia, quæ
ipsi cognoscere non poterant, nisi reve-
larentur: & consequenter eorum noti-
tia non erat debita naturæ: ideoque est
gratia: sed quia non assentiuntur illi
revelationi per *donum gratiæ*, ut dicit
Div.

Div. Thom. Nec per *lumen fidei*, ut dicit August. Nec per auxilia supernaturalia: quia ille non est status favoris specialis: ideo illa *gratia* est gratia Philosophica, & naturalis: quatenus non erat eis debita; non vero gratia supernaturalis: quia non datur fundamen-tum, ut talis sit, cum non sufficiat ad supernaturalitatem, quod nata tur mo-tivo supernaturali; sed requiratur quod principium influens, & exactum sit su-pernaturale. Et hinc patet ad secundum.

42 Dico 2. In damnatis, & dœmoni-bus non datur habitus fidei. Prob. Si habitus fidei daretur in damnatis, & dœmonibus, daretur ad exercendos actus fidei supernaturalis. Sed in dam-natis, & dœmonibus non exerceuntur tales actus, ut probatum est: ergo. 2. Iux-ta commune Theologorum habitus fi-dei est donum supernaturale conces-sum in favorem Angelorum, & homi-num ad salutem consequendam. Sed sta-tus damnationis non est status favoris in ordine ad salutem: ergo. 3. Quia status damnatorum non est status auxi-liorum gratiae transeuntis, & conse-quenter minus erit status gratiae per-manentis.

Obijc.

43 Obijc. 1. In damnato manet character ad distinguendos fideles. Sed in aliquibus, qui crediderunt, & non sunt baptizati, non manet character, quo distinguantur: ergo manebit habitus fidei. *Resp. conc. mai. & min. neg. conf.*
 Manet character, ut distinguat fideles ab infidelibus, & vnas personas ab alijs: quia alijs non cessat finis characteris non destinati ad operandum: quia verò habitus est destinatus ad operandum in ordine ad salutem, cum cessat hic finis, & maneat sufficiens distinctivum in fidelibus ab infidelibus in ipsa privatione habitus fidei in pœnam peccati, non est cur in fidelibus non baptizatis maneat habitus fidei.

§. II.

44 Dico 3. In damnatis, & dœmonibus dari fidem actualem naturalem. Prob. Iacobi 2. dicitur: *Dæmones eredunt, & contremiscunt.* Aug. & Div. Thom. supr. dicunt, in dœmonibus dari fidem. Ex Evangelio constat, dœmones multa scire, quæ non aliter possunt scire nisi per revelationem, quam cognoscabant ad præsentiam signorum.

Sed

Sed hæc fides non est supernaturalis, ut
diximus : ergo in damnatis, & dæmo-
nibus datur fides actualis naturalis.

45 Difficultas est : An hæc fides
sit libera, vel coacta ? *Aliqui* dicunt,
eam fidem esse necessariam quoad exer-
citium. Ita Vazquez 1. part. disp. 219.
num. 6. Coninc disp. 17. num. 28.
Turrianus disp. 43. dub. 3. *Alij*, esse
necessariam quoad speciem. Ita Suarez
lib. 8. de Angelis, cap. 6. num. 8.
Alij dieunt esse liberam. Ita Caietan.
Bañez quæst. 5. art. 2. Lorca disp. 30.
num. 6. Valencia quæst. 5. punct. 2.
cum Div. Thom. hic quæst. 5. art. 2.
& in 3. dist. 23. quæst. 3. artic. 3. &
quæst. 14. de Veritate, art. 9. ad 4.
vbi ait, *Credere dæmonum est fidei ac-
quisita*, ad quam sufficit voluntas ele-
ctiva actus credendi : quia non vult
manere suspensus ; sed non dilectiva
obiecti propositi. Et hic quæst. 5. cit.
dicit esse quodammodo coactam, &
non omnino liberam. Hanc sequitur
Palanco disp. 5. quæst. 15. Lugo dicit
tria : 1. Damnatos credere necessario
quoad exercitium ea, quæ continentur
intra lumen naturale intellectus, v. gr.

effic

esse Deum Omnipotentem, &c. 2. Ea, quæ superant evidentiam naturalem, non verò moralem credere necessarios necessitate morali. 3. Ea, quæ nec continentur intra evidentiam physicam, neque moralem, credere omnino liberè. Ripalda etiam dicit tria: 1. Dæmones posse habere multos actus fidei necessarios quoad exercitium, et si obiecta excedant evidentiam physicam. 2. Posse habere actus fidei necessarios quoad exercitium ex sola dispositione divina cogente eos ad credendum in Sui punitione. 3. Posse dari in damnatis, & dæmonibus actus omnino liberos quoad exercitium, & speciem, v.gr. circa ea obiecta, quæ non pertinent ad eorum punitionem, ut peregrinatio Israëlitarum: gesta Iudicum, & Regum Iuda, & similia.

46 In his non omnino placent, quæ dicit Hugo: quia rectè stat aliqua cadere intra evidentiam naturalem, & liberè credi, sicut intra evidentiam nostram naturalem cadit existere Deum, esse Omnipotentem, & Sapientem, & liberè id credimus. Similiter ex eo, quod evidenter moraliter cog-

cognoscant revelationem non sequitur
 quod credant necessario moraliter;
 quia nos necessario moraliter cognos-
 cimus revelationem , & libere moraliter
 eredimus. Quoad posse haberg
 actus necessarios vera iudico , quæ di-
 cit Ripalda : quoad factum : dico , dœ-
 mones credere otanino libere , ea quæ
 non pertinent ad eorum punitio-
 nem : quia & illa credunt , & non est
 cur illa credant necessario, neque phy-
 sicè, neque moraliter ; idque constat
 ex D. Thom. loco cit. de Verit. Ea
 verò quæ pertinent ad eorum punitio-
 nem credunt simpliciter libere, sed coa-
 eti secundum quid ; ut constat ex Div.
 Thom. hic quæst. 5. cit. artic. 2. ubi
 dicit quod, quodammodo cogun-
 tur ad credendum. Hæc pro-
 his sufficient.





DISPUT. XIV.

De hæresi , & alijs notis , quibus
censurari solent propositiones
in Tribunali Sanctæ In-
quisitionis.

PLACUIT ADDERE BREVEM
disputationem de supradictis : quia
frequentè servire solet : & quia de
his agunt communiter Theologi
tractantes de fide.

SECTIO I.

*Quæ pertinacia requiratur ad hæresim,
& an ignorantia , & alia ex-
cusent ab hæresi?*

¶



Up. i. Hæresim , quæ
derivatur à Greco
verb. *Hæreome* , quod
est eligere ; in sua
prima significacione sonare idem , ac
ele-

elelio. Vnde hoc nomen derivatum est ad significandam quamvis opinionem, quam quis eligebat : quæ etiam dicebatur *Secta* à sectando. In hoc sensu dicitur etiam fuisse *Sectam*, & *Heresim* Stoicorum ; aliam Peripateticorum , & in eodem sensu olim potuit dici Religio Christiana *Secta*, & *Heresis*. Iam verò hæc voces sumuntur in malam partem à tempore Apostolorum, ut constat ex Paul. Act. 24. Secundum *sectam*, quam dicunt *heresim*, sic servio Deo meo. Vbi noluit nostram Religionem vocare *heresim*, etsi ab alijs sic vocaretur, & aperte sumit *heresim* in malam partem. 1. Cor. 11. Necesse est, & *hereses* esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant.

2. Sup. 2. sicut *Fides* significare potest *Fidem obiectivam*, seu obiectum fide credendum ; & *Fidem formalem*, seu actum credendi ; ita *Heresis* ; significare potest *Heresim obiectivam*, seu obiectum *Heresis*; & *Heresim formalem*, seu actum, qui sit *Heresis*. *Heresis obiectiva* est obiectum habens directam, & immediatam oppositionem cum obieeto, quod fide Theologica credi potest : non dico, quod debet credi: quia multa sunt revelata, & proposita ab

Eccle-

Ecclesia, quæ non tenemur credere; sed solum non discredere. Seu *Hæresis obiectiva* est obiectum contradictoriæ oppositum cum obiecto, quod fide Theologica potest credi. Ita omnes AA. ut dicit Oviedo contr. 10. punct. 2. In quibus nulla est controversia in hæresi obiectiva sic explicata. Quia vero potest esse quæstio, an conclusio obiectiva deducta ex una præmis- sa de fide, & alia naturali, sit revelata, & possit credi fide Theologica: poterit esse quæstio, an obiectum illi contradictoriæ oppositum, sit hæresis obiectiva, vel non, & sic de alijs.

3 Sup. 3. Hæresim sic communiter definiri: *Est error voluntarius, & pertinax contra doctrinam, & veritatem fidei Christianæ.* Ita Cano de Locis, lib. 12. cap. 8. Suarez hic disp. 19. sect. 1. & sect. 5. Coninc disp. 18. dub. 7. Bonac. disp. 2. de Censur. quæst. 5. Ovied. contr. 16. punct. 4. Castro Palao tract. 4. disp. 3. punct. 2. Munies. disp. 12. sect. 3. *Est error voluntarius.* Quia sine voluntate non datur peccatum: & est peccatum mortale, adeoque requirit perfectam libertatem: ideoque dissensus mysterio rever-

lato cum semiplena libertate , non esset
Heresis , sed peccatum veniale *infidelitatis* : est *perimax* , vt omnes sentiunt
 cum Aug. & Concil. Vien. Clem. i. de
 Summa Trinit. *Est contra doctrinam* , &
veritatem fidei Christianae , modo ex-
 plicatio. Ex quo sequitur , quod hæ-
 resis mere externa non proprie hæresis ,
 nec per eam amittitur habitus fideis ;
 nec subiacet eisdem reservationibus , ac
 hæresis interna , & externa ; sed est
 peccatum specie diversum ab hæresi in-
 terna , & externa simul. Ita Sanchez
 lib. 2. cap. 7. num. 8. Lessio lib. 2.
 cap. 43. dub. 2. nam. 1 l. Suarez hic
 disp. 14. sect. ultim. in 3. & sæpè ali-
 bi. Castro Palao supra disp. 3. punct. 2.
 num. 16. Oviedo supra , Munies. su-
 pra , contra Caiet. hic quest. 12.
 artic. 2. qui dicit esse hæresim punis-
 bilem ab Ecclesia.

4 Dubium est , quæ pertinacia re-
 quiratur ad hæresim formalem. Aliqui
 requirebant ad pertinaciam , Canoni-
 cam monitionem , vt requiritur in iure
 ad *Concubinaciam*. Ex Paul. ad Titum 3.
Hæreticum hominem post primam , &
secundam monitionem debita. Si tamen ad-
 vertas , hic locus iam supponit *Hominem*

Ee esse

esse *Hereticum*. Diana part. i. tract. 5. resol. 1. dicit, hanc monitionem esse necessariam, pro *Heretico rudi*; vel pro tradendo Curiæ sacerdotali. Tam certum est, sufficere ad *pertinaciam*, requisitam ad *Hæresim*: quod quis sciens, aliquid proponi ab Ecclesia credendum, libere dissentiat; & ad hæresim externam, quod eiusmodi dissensum manifestet. Ita Thom. Sanct. lib. 2. cap. 7. à num. 2. Valenc. hic disp. 1. quæst. 11. Coninc disp. 18. dub. 7. num. 78. Vazquez 1. 2. dispeput. 126. Bonacina disp. 2. de Censur. quæst. 5. Castro Palao tract. 4. disp. 3. punct. 2. Munieß. disp. 12. sect. 4. Ratio est: quia in Bulla Cœnæ est reservata hæresis externa; ita ut Prelati Regulares non possint ab ea absolvere etiam suos subditos, ut declaravit Sacra Congregatio 17. Nov. ann. 1628. Sed frustra esset hæc reservatio, si hoc non sufficeret; sed requireretur canonica monitio: ergo. 2. Qui per iudicium resistit Ecclesiæ, pertinax est. Sed eiusmodi homo per iudicium resistit Ecclesiæ: ergo. Ex quo sequitur non tenere distinctionem, qua loquuntur Aragon dicens 2. 2, quæst. 11.

artic. 1. hoc sufficere ad hæresim in-
internam; non vero ad hæresim exter-
nam: quia ex praxi DD. & Inquisitorum
constat, non expectari talem mo-
tionem ad iudicium de Hæretico. Ideo-
que certum debet esse non requiri ta-
lem monitionem ad hæresim.

5 Dubium est: Secundo, an sic
errans cum ignorantia vincibili, &
crassa, vel affectata sit hæreticus? Affir-
mat Sotus in 4. dist. 22, quæst. 2. ar-
ticul. 3. Lopez 2. part. instruct. cap. 20.
titul. de excomun. reserv. in Bull. Ca-
nae, cas. 1. Lorca 2. 2. quæst. 11.
disp. 41. num. 15. Alij hoc limitant ad
ignoratiā ita crassam, ut facilimē vin-
ci possit. Ita Sayrus in Thesaur. ca-
num, tom. 11. lib. 3. cap. 4. & proba-
bile censet Valenc. 2. 2. disput. 1.
quæst. 11. part. 1. diffic. 4. Alij li-
mitant ad solam ignorantia affectatam.
Ita Cano lib. 12. de Locis, cap. 9.
Navarr. lib. 2. de restitut. cap. 4.
dub. 9. Valenc. supra ad 1. Corduba
lib. 1. quæst. 17. §. 7. Torres de Tri-
nitate, quæst. 32. artic. 4. & ex par-
te consentit Thom. Sanct. lib. 2. Sum.
cap. 7. num. 23. & Bonac. disp. 2. de
Cens. quæst. 5. num. 7. Alij hoc li-

mitant ad ignorantiam affectatam ; non ex tædio discendi mysteria ; sed ex animo leberius sentiendi. Ita Tapia quæst. 6. artic. 2.

6 Probabiliter iudico quamlibet ignorantiam etiam affectatam, quæ causa sit erroris, excusare à peccato hæresis, & ab excommunicatione, & poenitentia, quæ hæresi imponuntur. (De ignorantia ex affectu liberius sentiendi numer. seq. dicemus) Ita Suarez disp. 19. sect. 3. num. 9. & 18. Azor, tom. 1. cap. 14. quæst. 9. Aragon supra, articul. 1. Coninc disp. 18. dub. 7. conclus. 4. Castro Palao supra dub. 2. Ojea disp. 3. sect. 4. Haunol. cap. 10. controv. 2. Farinacius de hæres. quæst. 179. Munies. disp. 12. sect. 4. Probat. Hæresis consistit in voluntaria contradictione authoritati Ecclesiæ. Sed habens quamlibet ex his ignorantias non habet voluntariam contradictionem authoritati Ecclesiæ : quia non contradicit Ecclesiæ, qui non cognoscit Ecclesiam esse sibi contrarium, ut multis probat Farinac. ergo. 2. Qui habet voluntatem mutandi sententiam, quoties sciat propriam esse contrariam Ecclesiæ, non est hæreticus : quia non est

est pertinax : cum paratus sit corrigi.
 Sed cum ignorantia affectata potest es-
 se talis voluntas: ergo. Preb. min. Quia
 potes affectare nescire, quod doceat. Ec-
 clesia, ne cogaris aliud sentire. Sed cum
 hac ignorantia datur voluntas mutandi
 sententiam, quoties sciat, propriam es-
 se contrariam Ecclesiæ, ut patet: ergo.
 3. Quia talis homo non peccat directè,
 & formaliter contra fidem; sed solum
 indirectè, quatenus non implet obliga-
 tionem discendi. Sed qui non peccat
 directè contra fidem, non est pertinax,
 nec hæreticus: ergo.

7 Dices: Qui errat, affectans ig-
 norantiam eo, quod parvi pendat au-
 thoritatem Ecclesiæ, est hæreticus: quia
 non est paratus, ut corrigatur ab Eccle-
 sia, & qui errat affectans ignorantiam
 ex affectu liberiùs errandi, est hæreti-
 cus: quia error est summè voluntarius:
 ergo non quævis ignorantia ex dictis
 excusat ab hæresi. Resp. ad 1. dist. ant.
 Est hæreticus in despectu authoritatis
 Ecclesiæ, hoc ipso procedente ex ne-
 gatione infallibilis authoritatis, concen-
 tant. est hæreticus in errore procedente
 ex ignorantia, neg. ant. & conf. Ad 2.
 dist. ant. Si paratus sit corrigi, si scias

Iuum errorem esse contrarium Ecclesiarum, neg. ant. si non sit paratus corrigi, conc. ant. quia hoc ipso errat cum pertinacia, & in hoc est haereticus.

8 Dices 2. Eiusmodi ignorantia non excusat in furto, homicidio, & alijs delictis, ne sint peccata contra iustitiam: ergo neque excusat, ne sit peccatum haeresis. 2. Qui vincibiliter ignorat, peccat contra fidem: ergo peccat Paganismo, Iudaismo, aut Haeresi. 3. Eiusdem speciei est peccatum ex ignorantia, ac ex malitia: quia species peccati sumitur ex obiecto; non ex modo. Sed error contra fidem ex malitia est haeresis: ergo etiam ex ignorantia. *Resp.* conc. ant. in materia iustitiae, charitatis, & honestatis, neg. conseq. Disparitas est: quia in primis materiis ignorantia non mutat obiectum; sed modum operandi magis, vel minus voluntarium; in materiis fidei mutatur obiectum: quia cum obiectum fidei sit revelatio proposita ab Ecclesia: cum haec occultetur per ignorantiam, non datur error pertinax, & directe contra revelationem, nec contra Ecclesiam, & consequenter non datur haeresis; sed solum peccatum contra obligationem

scien-

Sciendi res fidei. *Ad 2.* dist. ant. Peccat contra fidem indirecte, conc. ant. quia peccat contra obligationem sciendi res fidei; peccat contra fidem directe, neg. ant. Et hoc requirebatur, ut esset error pertinax contra fidem, & heresis. *Ad 3.* conc. mai. & in alijs materijs; neg. in materia fidei: quia in alijs materijs ignorantia non mutat; secus in materia fidei, ut diximus ad 1.

9 Dices 3. Qui affectat ignorare, affectat errare. Sed qui affectat errare, affectat contradicere Ecclesie: ergo pertinaciter, & hereticè ei se opponit. Ideò communiter dicitur, ignorantiam affectatam non minuere, sed augere peccatum; & ignorantiam æquivalere scientiæ in omni materia. 2. Si ignorantia excusat ab heresi, multi, præcipue rudes, & pueri nati, & ducati in Provincijs Hereticorum, non erunt heretici: quia multi laborant ignorantia saltem vincibili, aut affectata, qua non curant de inquirendis, & investigandis argumentis credibilitatis. *Resp.* dist. mai. Affectat indirecte errare, conc. mai. affectat directe errare, nego mai. & dist. min. qui affectat directe errare, conc. min. qui affectat indirecte,

nego min. & cons. Quia ex affectatione
indirecta non sequitur, quod affectat
contradicere formaliter Ecclesiaz; sed
solum materialiter. Ad sublumptam.
Ignorantia affectata non minuit pecca-
tum: seu quando ignorantia non mutat
objecrum, non minuit; quando mutat
objecrum, vel minuit, vel relinquit in
alia specie æquivalenti: & cum hac di-
stinctio intelligitur, quid ignorantia
æquivalat scientia. Ad 2. conc. assump-
tum cum Lugo, Haunoldo, & Munies.
disp. 12. sect. 4. propter rationem ar-
gumenti. Imò existimo, plures ex his
nec peccare formaliter contra obliga-
tionem addiscendi. Quam providen-
tiam habebit Deus cum his, quis sciat?
Illud certum, facienti quod est in se
Deus non denegat gratiam. De quo
tract. de Liber. Arbitr. disp. 6. latè.

10 Rogabis: An sic errans ex ig-
norantia, si moneatur ab Episcopo, vel
Inquisitore, vel alijs viris doctis de er-
rone, & adhuc perseverat in errore iu-
dicans, non esse contra definitionem,
sit hæreticus? Thomas Sanchez lib. 2.
Sum. cap. 7. num. 26. cum alijs, quos
ibi eitat, dicit, non esse hæreticum.
Castro Palao disp. 3. punct. 2. num. 6.
dicit,

dicit, esse hæreticum tam in foro extero, quam interno. Hoc videtur verius: quia alijs nullus, vel ferè nullus esset hæreticus: cum communiter non aliter proponantur mysteria credenda.

2. Qui iudicat contra id, quod ipsi est moraliter certum, proponi ab Ecclesia credendam, formaliter contradicit Ecclesiæ, & est hæreticus. Sed eiusmodi homo sic iudicat: quia dictum talium virorum facit evidētiām moralem, quod id proponetur ab Ecclesia credendum: ergo. Et quidem quoad forum extēnum puniretur ut hæreticus, ut constat ex Bart. 1. Tutor. §. Tutores, numer. 1. & alijs apud Castro Palao.

11 Dubium est 3. An qui voluntariè dubitat de mysterio fidei sit hæreticus? Negat Cano lib. 12. de Locis, cap. 9. Malder. 2. 2. quæst. 11. art. 2. Thom. Sanchez lib. 2. cap. 7. num. 12. Sà verb. *Hæresis*, num. 1. Limitant suam sententiam Thom. Sanchez, & Malder. ut intelligatur, quoties intellectus, per pensis rationibus, suspendit iudicium. Sic dubitantem esse hæreticum, dicit communis sententia cum Suarez disp. 19. sect. 4. num. 10. Coninc disp. 18. dub. 7. conclus. 6. Bonacina disp.

Disp. 2. de Censur. quæst. 5. Castro
 Palao supr. Barbosa innumeros refe-
 gens, de potestate Episcopi, alleg. 40.
 num. 16. Hoc videtur verius. Et est
 decisio textus in cap. 1. de *Hæreticis*,
 vbi dicitur, *Dubius in fide infidelis est*.
 Et probati potest ex Concil. Vienens.
Clement. 1. de *Summa Trinit.* vbi hæ-
 reticus censetur vertens in dubium, an
 anima rationalis sit forma corporis, &
 in eo pertinaciter hærens. Idem dicitur
 in Concil. Lateran. sub Leone X. sess. 8.
 Ratio est: qui iudicat, res fidei non es-
 se dignas assensu firmissimo, committit
 peccatum hæresis. Sed voluntariè du-
 bitans, iudicat, res fidei non esse dignas
 assensu firmissimo: ergo. Prob. min.
 Voluntariè dubitare, non est præcisè
 suspendere assensum: quia suspendens
 assensum quando non urget præcep-
 tum, non dubitat: ergo aliquid aliud
 addit, *peccaminosè dubitare*. Sed hoc
 nihil aliud potest esse nisi iudicium,
 quo iudices obiectum non esse dignum
 assensu certo, & firmo; sed esse du-
 biuin, & incertum: ergo.

12 Dices: *Hæreticus est*, qui eli-
 git sententiam fidei contrariam. Sed
 qui dubitat, quam sententiam eligit,

non

non potest dici , eligere sententiam fidei contrariam: ergo. *Confirm.* Qui dubitat, an assentiantur, est indifferens, ut assentiatur. Sed qui est indifferens , ut assentiatur, non magis potest dici, contrariati fidei, quam amplecti fidem: ergo. 2. Fides importat positivum assensum: ergo hæresis, qui illi contrariatur importat positivum dissensum. Sed dubitans , nec habet assensum , nec dissensum : ergo. *Resp.* conc. mai. neg. min. Quia licet non eligat sententiam circa veritatem obiecti , de qua dubitat ; eligit sententiam contrariam fidei circa dignitatem , vel indignitatem obiecti , ut credatur assensu firmo: quia iudicat, ut diximus , obiectum non esse certum, nec dignum assensu firmo ; sed esse dubium , & incertum , quod iudicium est contrarium fidei. *Ad confirm.* Dist. mai. Est indifferens , ut assentiatur veritati obiecti , conc. mai. est indifferens, ut assentiatur dignitati obiecti , ut credatur assensu firmo , neg. mai. & in hoc sensu neg. min. *Ad 2.* Conc. antec. & cons. dist. min. sublumptam. Nec habet assensum, nec dissensum circa veritatem obiecti , conc. mai. circa dignitatem obiecti , ut credatur, neg. min. & cons.

13 Dubium est 4. An dissentiens revelationi sibi sufficienter proposita sit hæreticus? Lorca 2. 2. quæst. 11. disput. 32. dicit, non esse hæreticum. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 9. quæst. 4. Thom. Sanchez lib. 2. cap. 7. num. 32. Suarez disp. 19. sect. 5. num. 11. Coninc disp. 18. dub. 7. Castro Palao suprà, num. 14. dicunt, fore hæreticum. Hoc verius viderur. Prob. Tota malitia hæresis consistit in contemptu Primæ veritatis sufficienter propositæ, & in pertinacia adversus Deum, vel Ecclesiæ. Sed sic dissentiens contemneret Primam veritatem, & esset pertinax adversus Deum: ergo. Mai. & min. prob. sic dissentiens mendacem facit Deum. An vero incidat in excommunicatione, & alias pœnas sic dissentiens etiam externe? Affirmat Thom. Sanchez, & Coninc suprà. Negant Suarez, Azor, Corduba, & Castro Palao suprà. Hoc videtur verius: quia de occultis non iudicat Ecclesia; & videtur impossibile manifestari hoc esse contrarium fidei. Similiter non incurrit pœnas dissentiens, iudicans id esse ab Ecclesia definitum; quod tamen non est. Ita Suarez Disp. 21. sect. 2. num. 20. Thom. Sanch.

Supra, num. 30. Castro Palao num. 152

14 Dubium est 5. An negans conclusionem Theologicam, committat hæresim; vel quale peccatum sit? Valenc. 2. 2. disp. 1. quæst. 11. dif. 3. Cano lib. 12. de locis, cap. 9. Bonac. disp. 2. de Censur. quæst. 5. dicunt committere hæresim, & excommunicationem incurrere, Aragon 2. 2. quæst. 11. artic. 2. Suarez disp. 16. sect. ultim. num. 3. Thom. Sanchez lib. 2. Sum. cap. 7. num. 33. Castro Palao supra, num. 19. Hæc quæstio maximè pender ex his, quæ egimus disp. 10. Ibi diximus cum multis conclusionem obiectivam Theologicam esse immediate revelatam: ideoque teneamus dicere, esse hæresim negare tamē conclusionem saltem materialiter, sed quia non est moraliter certum tamē conclusionem esse immediate revelatam: cum probabilis sit sententia opposita nec iubeamus credere conclusionem Theologicam: ideo dissentiens excusatitur ab hæresi formalī, & ab excommunicatione, & poenis impositis hæresi? Qui tamen negaret, tamē conclusionem aut præsumeretur hæreticus, aut esset suspectus de hæresi, si esset

esset vir doctus : quia facilius existimatetur ; negare præmissam fidei quam præmissam evidentem , ex quibus legitimè deducitur talis conclusio obiectiva.

15 Dubium est 6. An ad hæresim punibilem ab Ecclesia requiratur baptismus ? Dixi punibilem ab Ecclesia : quia , ut certum existimo , ad hæresim non requiritur baptismus. Ratio est : quia tres sunt species infidelitatis, *Hæresis*, *Paganismus* , & *Iudaismus*. Sed non baptizatus qui confiteretur reliqua , & negaret Sacramentum Eucharistiae , non esset *Paganus*, neque *Iudæus*: ergo est *hereticus*. 2. Hæresis est dissensus rei immediate revelatae sufficienter propositæ. Sed non baptizatus , qui confiteretur reliqua , & negaret Sacramentum Eucharistiae , haberet dissensum circa rem immediate revelatam sufficienter propositam : ergo.

16 At verò baptismus requiritur ; ut *Hæresis* , *Paganismus* , & *Iudaismus*, sit punibilis ab Ecclesia. Ita omnes. Quia ut inquit Trident. sess. 14. cap. 2. Ecclesia non exercet iurisdictionem nisi in eum , qui per ianuam baptismi in Ecclesiam fuerit ingressus. Et hoc te-

nendum est , et si per metum , iniuriam ,
 vel aliter suscipiat baptismum , modo
 valide sit baptizatus . Si vero inva-
 lidè sit batizatus ex defectu mate-
 riæ , vel formæ , v. gr. Simancas de
 Catholic. instit. titulo 31. Gabriel in
 4. dist. 13. quæst. 2. artic. 1. Castro
 de iuxta hæretic. punit. cap. 8. Azor
 tom. 1. lib. 8. cap. 9. quæst. 3. versio.
Siqueras , dicunt , esse punibilem ab
 Ecclesia : quia iam ex voluntate vide-
 tur subiectus , & quasi obligatus præ-
 ceptis Ecclesiæ . Oppositum tamen est
 tenendum cum Suarez , Thom. Sanch.
 & Castro Palao . Ecclesia non habet iu-
 risdictionem in eum , qui est extra Ec-
 clesiam . Sed eiusmodi homo est extra
 Ecclesiam : ideoque est rebaptizandus :
 ergo si constet baptismum fuisse invali-
 dum , non est punibilis ab Ecclesia . Si
 vero non constet , punibilis est : quia
 censetur subditus Ecclesiæ . De pœnis
 impositis hæreticis , vide Castro Palao
 disp. 4. à punct. 1. De pœnis impo-
 sitis Fautoribus hæreticorum , vi-
 de eundem disput. 3.
 punct. 6.



SECTIO II.

*De notis, quibus censurari solent pro
positiones in Tribunalii Sanctae
Inquisitionis.*

17 **S**up. Eiusmodi propositiones dividi inerroneam, sapientem hæresim, male sonantem, pias aures offendentem, temerariam, scandalosam, & blasphemam, de quibus latè agit Castro lib. 1. *De iuxta hæreticorum. punit.* à cap. 3. *Turrecremata* lib. 4. Sum. de Eccles. 2. part. cap. 8. Simancas de Catholic. institut. tit. 54. Caietan. 2. 2. quæst. 11. artic. 2. Bañez hic artic. 2. Lorca disp. 40. Suar. hic disp. 19. sect. 2. Coninc disp. 18. dub. 8. Terres disp. 55. dub. 3. Castro Palao disp. 3. punct. 1. Lugo disp. 20. sect. 3. Ripalda in *procœmio*, tom. 3. de Ente, Ovied. controv. 12. punct. 4. Munies. disp. 12. sect. 6.

18 **P**ropositio *erronea*. De hoc sunt varij modi explicandi apud Suar. supra, communior, & fere ab omnibus recepta sententia est quod propositio *erronea* est, quæ contradicit obiecto fidei

fidei non immediate , sed mediatae
 quia non negat obiectum, quod est im-
 mediatè revelatum certo moraliter,
 quidquid sit de opinionibus. Sed solum
 obiectum quod est mediatae revelatum,
 v. gr. qui negat conclusionem Theolo-
 gicam : vel revelatum in causa , ex qua
 evidenter sequitur effectus , v. gr. ne-
 gans, Christum esse risibilem. Ita ex-
 pressè Suarez supra num. 15. Coninc
 num. 130. Torres dub. 3. Castro Pa-
 lao num. 4. Lugo , & Ovied. supra
 Munies. supra. Eiusmodi negans erra-
 ret in fide : quia licet non negaret im-
 mediatè revelatum certo moraliter,
 negaret , quod evidenter sequitur ex
 immediate revelato. Imò sic negans pu-
 niretur ut hæreticus : quia si negaret
 conclusionem Theologicam , potius
 præsumitur negare præmissam de fide,
 quam præmissam evidenter , ex quibus
 deducitur. Et cum ex *esse hominem* evi-
 dentè inferatur esse risibilem ; negans
 Christum esse risibilem potius præsu-
 mitur , negare Christum esse hominem;
 quam negare , quod inferatur esse ri-
 sibilem. Si tamen constanter affirmaret
 Christum esse hominem , & negaret Om-
 nem hominem esse risibilem. Similitè;

Si constanter affirmaret præmissam fidei , ex qua cum alia præmissa evidenti sequitur conclusio Theologica , non esset iudicandus hæreticus ; sed erroneus iuxta dictos Authores.

19 Similiter est *erronea* proposicio opposita veritati , quæ quamvis non est expressa in Scriptura , nec definita ab Ecclesia ut de fide ; communis sensu habetur ut contenta in Scriptura , aut definita , aut tradita ab Apostolis. Ita Ripalda. Hæc ab alijs vocatur *proxime heresis* : quia sic sentiens , proxime est , ut incidat in heresim. Similiter vocatur *errori proxima* , quæ quamvis non sit error manifestus ; communis sensu habetur ut error , aut propè est , ut vi consequentiæ labatur in errorem. Talis esset iuxta Tapiam , dicens *B.V. non assumptam in Cælo Corpore , & Anima* : quia cum oppositum teneant omnes , & celebret Ecclesia : posset ex illa inferi Ecclesiam non gubernari ab Spiritu Sancto.

20 Propositio *Sapiens heresim* est illa , quæ contradicit obiecto fidei , non per consequentiam evidenter ; sed per consequentias moraliter certas. Ita Lorca disp. 40. num. 10. Suarez

supra num. 17. Coninc supra n. 1313
 Castro Palao num. 5. Lorca, & Coninc,
 ponunt exemplum, v. gr. Si quis dice-
 ret *Stultum*, & *innabile esse, Sacramen-*
tum Eucharistie solemnis pompa circum-
ferri. Hic tamen ut benè notat Castro
 Palao, potius esset *hæreticus*, vel *erro-*
neus, quam *Sapiens hæresim*: quia non
 solum contradicit obiecto fidei per
 consequentias moraliter certas; sed per
 consequentiam evidentem: quia evidens
 est lumine naturæ, esse exhibendam
 reverentiam rebus sacris. Sed imme-
 diatè revelatum est Christum esse in
 Eucharistia: ergo qui negat Sacramen-
 to Eucharistæ exhibendam solemnem
 reverentiam, aut est hæreticus, aut est
 erroneus. Ideò melius explicatur ab
 alijs exemplo dicentis: *Omnes existen-*
tes Complati sunt in peccato. Quia cum
 sit moraliter certum, *Compluti esse*
 plures pueros baptizatos: ex eiusmodi
 propositione sequeretur per conse-
 quentiam moraliter certam, *peccatum*
non deleri per baptismum. Alij addunt
 bene, esse etiam propositionem *Sapien-*
tem hæresim, quæ licet in se habeat bo-
 num sensum; ex circumstantijs perso-
 nas, loci, aut temporis arguitur, dicit

in sensu hæretico, v. gr. Qui diu com-
moratus inter Lutheranos, & alios mo-
ribus non ita Sanctis diceret, *Homo fide
iustificatur*. Ripalda, & alij pro eodē re-
putant propositionem *Sapientem hære-
sim*; ac propositionem *suspectam de hæ-
resi*. Alij eas distingunt, dicentes pro-
positionem positam, *Homo fide iustifica-
tur non esse sapientem hæresim*; sed
suspectam de hæresi: quæ suspicio po-
test esse *levis*, aut *gravis*, aut *vehemens*,
aut *vehementissima*, quod discernen-
dum est ex circumstantijs.

21 Propositio *male sonans* est illa;
quæ duplīcem sensum habet, alium
Cat holicum, alium hæreticum: sed quia
frequentius accipitur secundum sensum
hæreticum, ideo absolute prolata ma-
lē sonat. Ita Suarez *supra*, num. 18.
Lorca *supra*, num. 15. Coninc n. 133.
Castro Palao num. 6. Oviedo *supra*,
Muniess. *supra*. Eiusmodi est hæc pro-
positio, *Homo fide iustificatur*. Advertit
benè Suarez aliquando propositionem
esse male sonantem non ex se; sed ex
conditione proferentis, eo quod pro-
ferens suspectus sit. Puente Hurtado
disp. 76. num. 311. impugnat hanc
modum dicendi, sed non benè: Addit-
que

que propositionem malè sonantem esse illam , quæ habet sensum congruentem fidei ; verba non congrua. Si verò hæc explicatio non congruat cum sententia Suarez , & aliorum non est tenenda : quia sensus qui non est pravus, non est digna censura Theologica : quia verba possunt esse barbara.

22 Propositio temeraria est illa, quæ in rebus ad fidem , vel bonos mores pertinentibus procedit sine ratione, neque auctoritate contra communem sensum. Talis esset qui diceret *Mundum finiendum post decem annos.* Ita Suarez num. 20. Coninc num. 133. Castro Palao num. 7. Qui addunt, regulariter presumi posse , procedere sine ratione , qui procedit contra sententiam communiter receptam : quia debet presumere, tot, & tantos viros habuisse rationes efficaces , quas ipse non percipit, cum illis se opponit. Hæc propositio differt ab improbabili : quia improbabilis , aut non est contra fidem, nec bonos mores , aut non est contra communem sensum ; sed solum est sine fundamento, v. gr. hæc propositio : *Astra sunt parva.* Quæ nec est contra fidem, nec mores : nec est contra

tra communem sensum; sed solum est sine ratione; & solum dici potest reme-
raria secundum quid, seu pure philosophicè. Ita Suarez, Munies. Itaque hæc
propositio pure improbabilis non habet
censuram Theologicam.

23. Propositio scandalosa dici po-
test quælibet ex suprà dictis, si alteri
sit occasio errandi, vel male sentiendi
de fide; quia cum scandalum sit quod
ruinam alteri causet, propositio quæ
alteri tribuit occasionem errandi circa
mores, vel male sentiendi de fide, iure
scandalosa dici potest. Ita Castro Palao-
num. 8. quod explicat Oviedo, vt si
quis de reliquijs communiter venera-
tis, & de miraculo communiter recep-
to diceret. Quis seit, an hæc reliquiae
sint veræ? An miraculum conservatio-
nis Formarum in hoc nostro Collegio
Complutensi, sit verum? An miracu-
lum Corporalium, quæ coluntur Da-
rocæ est fictum? Et his similia. Hæc
propositio esset scandalosa: quia averte-
ret animas à cultu Religioso veneratio-
ne, orationibus, & alijs operibus vir-
tutis. Similitèr esset scandalosa propo-
sitio, qua Religio ab Ecclesia approba-
ta contemnatur, & qua aliqui ab eius
in-

ingressu retrahantur. Ita Oviedo supr. Addit Oviedo num. 82. esse scandalosam propositionem , qua quis censuraret, quod defenditar ab vniuersa aliqua Religione: quia ex ea tumultus, dissensiones, iurgia, discordiae inter Religiosos excitantur , vt experientia dicet. Neque possunt Dominicani, aut nostri excusari à censura , eo quod ab intrinseco certum iudicant, propriam sententiam esse veram : quia autoritate tot virorum debent deponere iudicium.

24 Propositio *piarum aurium offensiva*, à multis non distinguitur à propositione *male sonanti*. Ita Lorca disput. 40. num. 14. plures refens. Suarez disp. 19. sect. 2. num. 10. dicit, parum ab illa differre; asserit tamen aliquid addere: quia cum pietas ad cultum , & honorem pertineat , tunc specialiter dicitur *piarum aurium offensiva*, quando sonat aliquid contra Religionem, pietatem, & reverentiam debitam Deo , & Sanctis. Ita etiam Gasp. Hurt. disp. 10. diffic. 6. Ideoque pias aures offenderet , qui de secretioribus corporis alicuius Sancti verbis obscenis loqueretur. Vel qui de alijs , verbis obs-

cænis, indignis, indecentibus, ita loquuntur, ut castas, & piæ aures, pudicer audire; licet in se vera essent. Ita etiam Petr. Hurt. Oviedo, & Munies. supr. Huc reduci solet, miscere verba Scripturæ locis, & profanitatibus; quod pro qualitate erit maius, vel minus peccatum.

25 Propositio *iniuriosa* est illa, quæ alicui statui fidéliam, vel personæ illustri detrahit, ita ut notabilitè deaignetur. Sic *iniuriosi* sunt detractores Religionum, vel Sanctorum in communī, vel in particulā: & qui iniquè censurant propositiones DD. Catholicon. Ita Oviedo n. 81. & Munies. supr. Sic Ecclesia prohibere solet libellos famosos contra Principes, Cardinales, & alios, vt benè notat Lugo disp. 20. num. 101. Oviedo supr. num. 81.

26 Propositio *blasphema* est illa, quæ aliquia indecorans tribuit Deo, aut Sanctis; v. gr. qui per irridionem vocaret Thomam incredulum, Petrum desertorem Christi, Ioannem, & Paulum Eunachos, Crispinum, & Crispinianum Sutores. Similiter est *blasphemus*, qui negat Deo, vel Sanctis aliquid debitum; v. gr. qui diceret, Deum cau-

sare

sare peccatum, aut esse crudelem.

27 Propositio *impiā* est, quæ dicit aliquid contra id, quod fideles communiter credunt, vel agunt: ut si quis avertat ab indulgentijs orationibus, & sufragijs pro Animabus Purgatoriij.

28 Duo adverit Suarez disp. 19. sect. 2. art. 21. Castro Palao supr. numer. 9. Lugo disp. 20. n. 105. Oviedo supr. Primum, plures censuras cedere posse supra eandem propositionem. Sic in Concil. Basil. sect. 22. damnatur hæc propositio, *Christus quotidie peccat, ut erronea, scandalosa, piarum aurium offensiva*. Secundum, quod potest esse digna censura propositio, quæ aliam censurat: ideoque, ut inquit Suarez, prudens, & timoratus Theologus observare debet, ne sine magno fundamento censuram ferat.

29 Notat etiam Suar. Castro Pal., Luf. Ovied. & alijs, quod dum Pontifex definit aliquam propositionem esse *improbabilem*, est de fide, eam esse improbabilem: & dum definit aliquam propositionem esse *temerariam*, est de fide, eam esse temerariam. Et dum definit unam sententiam esse probabiliorem alia, non prohibet minus probabilem;

sed

sed eam re linquit in sphæra probabilitatis. Notat etiam Lugo sup. num. 119. ex eo quod Pontifex prohibeat sententiam ferre adversus aliquam opinionem, eamque notare *improbabilitatis*, non eo ipso declarat eam sententiam esse probabilem: quia potest Pontifex propter iustas causas prohibere talem notam, quia iudicet probabilem talem sententiam; sed iudicium de ea suspendat, eamque permittat, donec magis examinetur.

FINIS.



IN-

I N D E X
DISPUTATIONUM,
& SECTIONUM.

DISPUT. VII.

DE obiecto materiali fidei, Pa-
gina 5.

Sectio 1. An sit possibilis aliqua veritas
ab intrinseco irrevelabilis? pag. 6.

Sectio 2. Solvuntur argumenta, p. 21.

Sectio 3. An sit possibilis aliqua veri-
tas revelabilis, incredibilis per si-
dem? pag. 35.

Sectio 4. An obiectum revelationis
privatae possit credi fide Theolo-
gica? pag. 47.

DISPUT. VIIJ.

Quæ continentia unius in alio suffi-
ciat, ut revelato uno prædicato, di-
catur revelatum aliud? pag. 64.

Sectio 1. An, & quomodo revelato
vniversali, sit revelatum, & de fide
singulare sub illo contentum? p. 64.

Sectio 2. Solvuntur argumenta, p. 70.

Sectio 3. An sit de fide Clementem XI.
esse verum Pontificem? pag. 90.

Sectio 4. Solvuntur obiectiones, p. 105.

Sectio

INDEX:

- Sectio 5. Aliæ obiectiones solvuntur;
M pag. 118.
- Sectio 6. An sit de fide Archiepiscopum Toletanum pro tempore sedentem esse verum Episcopum? p. 133.

DISPUT. IX.

- An, & quomodo revelato uno prædicato, revelentur cætera, quæ cum illo identificantur, & cum quibus connectitur? pag. 136.
- Sectio 1. An revelato uno prædicato, revelentur in re omnia quæ realiter, & virtualiter identificantur cum illo? pag. 136.
- Sectio 2. An dato quod per revelationem omnipotentiaz revelentur omnia identificata cum omnipotentia, revelentur modo, quo requiritur ad fidem? Vei an ad fidem requiratur, quod formaliter revelentur? p. 144.
- Sectio 3. An revelato fundamento metaphysicè connexo cum termino, reveletur terminus modo sufficienti ad fidem titulo praeciso connexionis? pag. 152.
- Sectio 4. An conclusio legitimè deducta ex duabus præmissis revelatis sit de fide? pag. 158.

DIS;

INDEX.

DISPUT. X.

- Vtrum fides divina possit esse discursiva? pag. 177.
Sectio 1. An fides divina possit esse virtualiter discursiva? pag. 178.
Sectio 2. Fides potest esse formaliter, discursiva per entimema, pag. 184.
Sectio 3. An fides divina possit esse formaliter discursiva per syllogismos? & idem de fide naturali, & humana, pag. 187.
Sectio 4. Fides nequit esse discursiva per syllogismos, in quibus ab obiecto formalis fidei arguitur ad materiale distinctum ab obiecto formalis fidei, pag. 198.
Sectio 5. Solvuntur obiectiones, p. 202.

DISPUT. XI.

- An fides possit stare cum evidentia circa idem obiectum? pag. 213.
Sectio 1. An fides sit positivè obscura, vel solum præcisivè, & qua ratione? pag. 214.
Sectio 2. An circa idem obiectum materiale possit dari simul in eodem intellectu actus scientiae, & actus fidei? pag. 227.
Sectio

I N D E X:

- Sectio 3. Aliæ probationes. pag. 247.
Sectio 4. Solvuntur argumenta, p. 258.
Sectio 5. Solvuntur obiectiones à ratione, pag. 267.
Sect. 6. Solvuntur obiectiones, p. 273.
Sectio 7. An possimus vnico actu assentiri eidem obiecto ex motivo intrinseco scientiæ, & fidei? pag. 286.
Sectio 8. An habitus fidei possit coniungi cum actu scientiæ? pag. 299.

D I S P U T . XII.

- An possit dari fides cum evidentia in attestante? pag. 311.
Sect. 1. An qui habeat evidentiam in attestante, habeat evidentiam mysterij quoad *an est?* pag. 311.
Sect. 2. Qui habet evidentiam in attestante, habet evidentiam mysterij quoad *an est*, pag. 321.
Sect. 3. Solvuntur argumenta pag. 339.
Sect. 4. An fides possit stare, cum evidentia in attestante, casu quo hæc evidentia reddat evidens mysterium quoad *an est?* pag. 346.
Sect. 5. Cum evidentia in attestante reddente evidens mysterium quoad *an est* potest dari fides circa mysterium quoad *an est* aliqua alia propositione obscura, quæ fides erit positivè clara, pag. 353. Sec

INDEX.

- Sect. 6. Solvuntur arguments pag. 364.
Sect. 7. Aliæ obiectiones solvuntur,
pag. 375.

DISPUT. XIIJ.

- De subiecto fidei. pag. 381.
Sect. 1. An habitus fidei deficiat in hæreticis propter oppositionem physicam cum peccato, vel solum propter oppositionem moralem? pag. 381.
Sect. 2. An Angeli Viatores, & primi Parentes in statu innocentiae habuerint habitum, & actum fidei; & quid de Animabus Purgatorijs? pag. 387.
Sect. 3. Vtrum in beatis detur fides pag. 400.
Sect. 4. An in damnatis, & dœmonibus detur fides? pag. 417.

DISPUT. XIV.

- De Hæresi, & alijs notis, quibus censurari solent propositiones in Tribunalí Sanctæ Inquisitionis. p. 440.
Sect. 1. Quæ pertinacia requiratur ad hæresim, & an ignorantia, & alia excusent ab hæresi? pag. ibid.
Sect. 2. De notis, quibus censurari solent propositiones in Tribunalí Sanctæ Inquisitionis. pag. 454.

F I N I S.

Errata

Errata sic corrigē.

P Ag. 11. lin. 2. sicut, leg.
sicut. Pag. 19. lin. 17. de-
cēnere, leg. *decernere*. Pag.
36. lin. 17. possibilitatem,
leg. veritatem. Pag. 50. lin. 19.
possit, leg. *ponit*. Pag. 67. lin.
21. hæc veritas, leg. *hæc veri-*
tates. Pag. 83. lin. 7. revelatis,
leg. *relatis*.

¶ His mendis demptis,
suo responderet exemplari. Ma-
triti die 2. Septemb. ann. 1716.

*Lic. Don Juan Antonie
de Alvalà Iñigo.*











2510
3863